№ 15.

Rudimenta Historica

in

Opusculis quinque

pro

Gymnasiis Societatis Jesu

composita

a

quodam ejusd. S. Sacerdote.

Leopoli 1745.

V. E. M. Argent

L. J. Ktus

RUDIMENTA HISTORICA.

OPUSCULUM SECUNDUM,

DE IV. PRÆCIPUIS MONARCHIIS.

RUDIMENTA
HISTORICA

Sive

Brevis, facilisq; Methodus
Juventutem Orthodoxam
notitiâ Historicâ
imbuendi,
Pro Gymnasiis Societatis JESU
in Polona Provincia.

Auctore
Ejusdem Societatis Sacerdote.

OPUSCULUM SECUNDUM
De IV. præcipuis Monarchiis.
Editio altera emendatior.

Cum Superiorum Permissu.

L E O P O L I
Typîs Collegii Soc: JESU
MDCCXLV.

PRÆFATIO.

QUod in Opuſculo I. præfati ſumus, hîc denuò juvat innuere, lucubratiunculas nempe has noſtras eò ſpectare unicè, ut orthodoxa juventus hiſtoricâ quâdam notitiâ initietur, útque uſu ipſo palam fiat, qua potiſſimùm methodo, præter alias, hæc quoque ſcientia teneris poſſit animis commodiùs inſtillari. Quippe hac in re experientiam atque exercitationem ipſam poſſe quàm plurimum, nemo inficias iverit; cujus proin ductu & magiſterio plenior perfectiórque tradendæ Hiſtoriæ methodus Scholis noſtris orthodoxis aptari deinceps, tradíque poterit. Secundum hoc Opuſculum præcipuas quatuor Monarchias ad Chriſti uſque ortum, indéque Imperatores ethnicos ad Conſtantini M. tempora complectitur. Imperatorum porrò Chriſtianorum res geſtas in Opuſculo III proſequemur, ne libelli iſti & formâ & magnitudine nimiùm inter ſe diſcrepent.

Par-

Partitio hujus Opuſculi.

PARS I.

De Monarchia Aſſyriorum.

PARS II.

De Monarchia Perſarum.

PARS. III.

De Monarchia Græcorum.

PARS IV.

De Monarchia Romana.

Sectio I.

De rebus Romanorum memorabilioribus ante conditam Monarchiam.

§. 2. Numa Pompilius, & Tullus Hostilius.
§. 3. Ancus Martius, & Tarquinius Priscus.
§. 4. Servius Tullus, & Tarquinius Superbus,

Caput III De rebus gestis Romanorum sub consulibus.

§. 1. De novi regiminis forma post abolitum regium nomen
§. 2. De rebus gestis Romanorum ante bellum Punicum.
§. 3. De triplici bello Punico.
§. 4. De bellis Romanorum externis post eversam Carthaginem.
§. 5. De bellis Romanorum intestinis ante fundatam Monarchiam.

Sectio II.

De Monarchis sive Imperatoribus Romanis usque ad Constantinum M.

Caput I.

Imperatores Seculi I. à Christo nato.

Augustus.	Otho.
Tiberius.	Vitellius.
Caligula.	Vespasianus.
Claudius.	Titus.
Nero.	Domitianus.
Galba.	Nerva.

Ca-

Caput II.

Imperatores Seculi II.

Trajanus.
Hadrianus.
Antonin. Pius.
M. Aurel. Antonin.
& Lucius Verus.
Commodus.
Ælius Pertinax.
Didius Julianus.
Septimius Severus.

Caput III.

Imperatores Seculi III.

Caracalla & Geta.
Macrinus.
Heliogabalus.
Alexander Severus.
Maximinus.
Gordianus.
Philippi, pater & filius.
Decius.
Gallus & Volusiánus.
Æmilianus.
Valerianus & Gallienus.
Claudius II.
Aurelianus.
Probus.
Carus, Carinus, & Numerianus.
Diocletianus & Maximianus.
Constantius Chlorus & Galerius.

ISAGOGE,
sive
Quæstiunculæ præviæ
De IV. præcipuis mundi Monarchiis.

1. *Quænam hæ quatuor Monarchiæ?*

1. Assyrica. 2. Persica. 3. Græca. 4. Romana.

2. *Cur hæ inter omnes alias principatum tenent?*

Tum quòd potentiâ, amplitudine & magnificentiâ cæteris longè præstent; tum præcipuè, quòd in sacris paginis crebrior earundē fiat mentio.

3. *Qua specie IV. hæ Monarchiæ Regi Nabuchodonosori secundùm quietem objectæ fuerunt?*

Videre sibi visus est Rex statuam prægrandem, cuius caput ex auro, brachia & pectus ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ ex ferro cum pedum digitis partim ferreis, partim fictilibus. In hos cùm lapillus sine ope humana de monte avulsus, offendisset, tota mox statua non solùm corruit, verùm ita contrita penitùs & comminuta est, ut pulveris instar in auras abierit. Lapillus porrò in montem excrevit tam vastum, universum ut orbem impleverit.

4. *Qui verò prodigiosum hoc somnium interpretatus est Daniel?*

 Divino

Divino afflatus Spiritu docebat, capite aureo Assyricum, pectore argenteo Persicum, ventre æneo Græcum, pedibus quà ferreis, quà fictilibus Romanum portendi Imperium: lapillo verò præsignificari Christum ipsum, qui humanam assumendo naturam à summis ad ima se demissurus, hácque ipsa demissione Regnorum profanorum potentiam juxta & magnificentiam protriturus, supérque eorum ruinas Regni sui, in omne ævum duraturi, fundamenta jacturus esset.

5. *Quem porrò fructum affert historica hæc de IV. Monarchiis notitia:*

Multiplicem. Nam 1. hac ex historia, veluti fonte, historiæ reliquæ tanquam rivuli deducuntur. 2. Regnorum olim potentissimorum inclinationes & ruinæ luculento nobis argumento sunt, quàm labili fulcro omnis humana nitatur potentia, dum Regnum alterum ex alterius ruinis ruderibúsque exsurgit, iterúmque collabitur. 3. Cùm omnis historia sit magistra morum, ad hos ritè formandos illa haud parùm conducit.

6. *Quæ epochæ sive periodi memorabiliores inde ab orbe condito ad diem usque Christi natalem hac in historia sunt considerandæ?*

Sequentes quinque:

1. Ab orbe condito usque ad Assyricæ Monarchiæ exordia fluxerunt anni - 1879.

2. Stetit

2. Stetit Monarchia Assyrica ab anno 1879. usque ad annum 3516. universè annis - 1637.
3. Monarchia Persica ab anno 3516. ad annum 3724. annis - - - 208.
4. Monarchia Græca ab anno 3724. ad annum 4024. annis - - - 300.
5. Monarchia Romana ab anno 4024. ad annum 4053. quo natus est Christus, annis - - - - - - 29.

Summa 4053.

PARS I.

PARS I.

De Monarchia Assyriorum.

Agemus hic 1. De Monarchis Assyriis usque ad Sardanapalum. 2. De Monarchis Assyriis à Sardanapalo usque ad Monarchiæ hujus interitum.

CAPUT I.

De Monarchis Assyriis usque ad Sardanapalum.

1. *Quis Monarchiæ hujus fundamenta posuit?*

Nemrodus Nòémi pronepos, nepos Chami, filius Chusi, qui & Belus cognominatus. Hic ingenii acie, animíque imperiosi impetu ac præstanti corporis robore utendum ratus, homines libertate, qua ad id usque temporis sub Patriarchis fruebantur, spoliare decrevit. Titulo itaque Regis assumpto, urbem Babylonem condidit, sedémque ibi Regiam fixit. Regnavit annos quinque & sexaginta, violenta demum nece, ut tyranni solent, sublatus anno mundi 1944.

2. *Quis secundus Assyrii Imperii Monarcha fuit?*

Ninus Nemrodi filius, paternæ ambitionis fastúsque hæres. Hic imperii fines prorogaturus, sumptis armis, Assuri, filio Semi, Assyriam

vi eripuit. Inde jactis ad Tigrim fluvium urbis novæ fundamentis, hanc ſuo ex nomine Niniven dixit, regiâque ſede nobilitavit, Regis Aſſyriorum titulo ſibi arrogato. Parentis ut nomen immortalitati conſecraret, ſtatuam excitavit, humanis primùm, dein divinis adeò honoribus augeri cœptam; unde idolorum cultus vel exordium ſumpſit, vel ingens certè incrementum. Imperavit Ninus annos quinquaginta duos, vi aſtúque conjugis ſuæ de medio ſublatus A. M. 1996.

3. Quis poſt Ninum imperii habenas moderatus eſt?

Semiramis Nini uxor, quæ prima è mulieribus ſceptrum tenuit. Auſa eſt arrogans & ambitioſa mulier à Nino petere, ſibi ut liceret quinque duntaxat dies ſummam rerum adminiſtrare. Annuit ille. At hæc conceſſa ſibi ſuprema poteſtate in concedentis perniciem abutens, Regem ipſum interficiendum curavit, indéque imperium, per vim ſummámque impietatem occupatum, annos duos & quadraginta virili ſanè animo & auctoritate geſſit. Urbem Babylonem miræ altitudinis juxta ac latitudinis mœnibus cinxit, ſplendidíſque ædificiis & hortis penſilibus ad miraculum usque exornavit. Bellis proſperè ſtrenuéque geſtis totam brevi Mediam, Ægyptum & Libyam in ditionem ſuam redegit. Has tamen laudes, rerúmque geſtarum famam turpi impudicitiæ ſcelere plurimúm obſcuravit. Quocirca à ſuomet Filio Ninia interempta eſt A. 2038.

4. Qui

4. *Qui porrò subsequentes tres & triginta Monarchæ Assyrii ad Sardanapalum usque Rempublicam gubernârunt?*

Vitam omnes fœdissimam pecudum more agebant. Quippe regnandi cura omni abjecta, perpetuis voluptatibus perfluebant, indigni, quorum vel nomina memoriæ prodantur.

5. *Quis, qualísque Sardanapalus fuit?*

Septimus ac trigesimus Assyriæ Monarcha, mortalium effœminatissimus, & infame Veneris mancipium, cujus proinde imperium populus omnino detrectaverat. Primus jugum excussit Arbaces, Mediæ Præfectus. Hic dum fortè Regem fœminarum gregi immistum muliebri sub habitu ad colum sessitare conspexisset, eundem, societate cum Belocho Babyloniæ Præfecto inita, regia in urbe Ninive obsedit, eásque in angustias, & ultimam demum desperationem adduxit, ut violentas sibimet manus inferre statuerit. Ingenti igitur pyræ, regio in palatio extructæ, lectulos mollissimos cum rebus quibúsque pretiosissimis superimponi jubet, móxque rogum cum suis pariter mulierculis conscendens, admotis facibus, vivus comburitur A. 3178.

CAPUT II.

De Monarchis Assyriis à Sardanapalo usque ad Monarchiæ hujus interitum.

1. *Quot porrò Assyriorum Reges ad Monarchiæ usque excidium rerum potiebantur?*

Duo-

Duodecim, è quibus quinque duntaxat commemorandi, nempe Salmanasar, Sennacherib, Merodach, Nabuchodonosor, & Balthasar.

2. *Quis Salmanasar?*

Quadragesimus Assyriorum Rex, qui regnum Israëliticum funditus evertit, Rege Osea cum denis Israëlis tribubus, quas inter Tobias vir summa pietate ac religione, in Assyriam abstracto, perpetuoque servituti addicto. In Samariam porrò habitatoribûs viduatam novæ ex Chaldæa coloniæ sunt deductæ. Unde Judæos inter & ethnicos ea sacrorum confusio exstitit, quæ Samaritanos à Judæis, rectè tunc credentibus, æternis animorum diffidiis segregavit.

3. *Quis Sennacherib?*

Hic hostis Judæorum acerrimus atque infestissimus, regnante Ezechia, ingenti cum exercitu Hierosolymam contendit, urbem funditus deleturus. At DEUS Regis juxta ac populi precibus imploratus, Angelum misit, qui noctis unius spatio centum octoginta quinque millibus de Sennacheribi exercitu interfectis, bellum repentè profligavit. Tanta clade maximopere consternatus tyrannus ut Deos, quos sibi obiratos credebat, placaret, filios geminos, natu minores, immolare decrevit. Jámque impia sacra peracturus erat, cùm à duobus filiis, natu majoribus, ad aras obtruncatur A. 3323.

4. *Quis Merodach?*

Hic Nabuchodonosor quoque cognominatus, expu-

expugnatâ Hierosolymâ, Manassem, Judææ Regem, Babylonem captivum abduxit, septimóque pòst anno in libertatem restituit,

5 *Quis porrò Nabuchodonosor Magnus?*

Sextus & quadragesimus erat Assyriorum Rex, quem, quòd orbem propè universum armis contriverit, DEUS ipse terræ universæ malleum appellavit. Hic Hierosolymâ solo æquatâ, multa Judæorum millia cum sacris vasis Babylonem abripuit. Tam prospero armorum successu nimiopere elatus, auream sibi statutam, quam prono omnes in terram vultu venerarentur, ponendam curavit.

6. *Quo supplicio DEUS tantam hominis insolentiam castigavit?*

Cùm Rex hic longè arrogantissimus supra homines sese extulisset, ab horum consortio relegatus in sylvas, septem ipsos annos cum feris habitans, bovis instar grãmine vesci cogebatur, donec expiatâ hunc in modum superbiâ, animíque elatione, à DEO in gratiam receptus, sibíque ac regno est restitutus. Inde biennio ferme superstes, ex Danielis, ut ajunt, institutione, veri Numinis cultui se addixit, fato functus A. 3472.

7. *Quid de Balthasare compertum habemus?*

Hic Regum Assyriorum undequinquagesimus ac postremus A. 3495. suscepit Imperium, gessitque exigua admodum cum laude. Anno regni primo ac vicesimo opiparum epulum in-

struxit,

ſtruxit, ubi è ſacris templi vaſis ſtrenuè in orbem perpotatum eſt. At ecce! dum lætis omnia vocibus perſonant, manus ignota parieti tria hæc verba *Mane*, *Thecel*, *Phares* inſcribit, Regémque ingenti prorſus timore percellit. Nec alius ullus ænigma hoc ſolvere poterat, præter Danielem Prophetam, qui verbis illis præſentem Regi, totique Imperio perniciem portendi prædixerat. Id quod mox probavit eventus. Quippe eadem nocte à Cyro Perſarum Rege urbs Babylon occupata, occiſóque Balthaſare, Monarchia Aſſyriorum, poſtquam annos 1637. ſteterat, funditus everſa eſt A. 3516.

Obſervationes.

1. *Cur in myſtica illa Nabuchodonoſoris ſtatua Regnum Aſſyrium aureo capite portendebatur?*

Quia ut aurum metallis reliquis, ita Monarchia hæc cæteris regnis omnibus & potentia & amplitudine & magnificentia longè præſtabat.

2. *Cur Regnum Aſſyrium etiam Chaldaicum appellatur?*

Quia poſteriores Aſſyriorum Monarchæ relictâ Ninive, principe Aſſyriæ urbe, ſedem regiam Babylonem, Chaldææ metropolim, tranſtulêre.

3. *Cur*

3. Cur DEUS homines improbos & idolorum cultui deditos, quales erant Assyrii, tot opibus, rerúmque terrenarum affluentiâ cumulavit?

Ut palam fieret orbi universo, quàm parvî æstimanda sint fluxa & peritura hæc bona, utpote quæ DEus suis etiam inimicis manu tam munifica ultrò elargiri solet.

4. Quæ causa, quòd Regnum hoc amplissimum abominando idololatriæ scelere & contagione infectum penitùs fuerit & corruptum?

Causa potissima improbitas erat, impietásque Regum Assyriorum, qui veri Numinis cultu neglecto in omni scelerum ac libidinum cœno se volutabant.

5. Quo pacto DEUS per hos ipsos Reges communi populi sui electi bono salutique prospexit?

His, quasi virgis flagrísque usus est ad castiganda suorum flagitia, quos hac ratione ad pœnitentiam legisque observantiam quodammodo compulit. Nec tamen destitit, eosdem vera cum fiducia suum implorantes auxilium præpotenti suo brachio ab hostium incursibus & oppugnationibus mirabiliter tueri ac vindicare.

6. *Quo demum casu regnum hoc potentissimum penitùs colapsum est?*

Id DEI immortalis nutu factum est, cùm ut Regum juxta ac populi scelera vindicaret; tum ut tantæ Monarchiæ excisione rerum humanarum inanitatem toti orbi demonstraret.

7. *Nihílne in historia hac dubium & controversum est? Et unde hoc?*

Sunt omnino non pauca cùm ob temporum antiquitatem, tum ob idoneorum auctorum penuriam. Quæ certa sunt & indubitata, è sacris fermè paginis eruuntur. Chronologia quoque iisdem de causis minùs explorata & expedita est.

8. *Ecquid emolumenti Judæi durante sua captivitate attulêre Assyriis?*

Permulta hi à Judæis discere poterant, ad veram præcipuè Religionem, cultúmque divinum pertinentia.

PARS II.

PARS II.

De Monarchia Persarum.

Pars hæc duo complectitur capita. In primo agemus de quinque prioribus, in secundo de posterioribus quinque Persarum Monarchis.

CAPUT I.

De quinque prioribus Persarum Monarchis.

§. I.

Cyrus.

1. *Quis primus Persarum Monarcha?*

Cyrus, qui singulari DEI providentia totius Orientis Imperio est potitus. Hunc enim à DEO ad æterna Sanctissimáque sua decreta exsequenda destinatum fuisse multò antè Isaïas Prophetes vaticinatus est. Recens natum Astiages avus somniis quibusdam exterritus morti addixit; à qua tamen mirabili DEI providentia est ereptus. Ubi adoleverat, Medos, Persas & Lydos, horúmque Regem Crœsum longè ditissimum debellavit. Eversâ exinde Assyriorum Monarchiâ, Asiæ universæ dominatum obtinuit.

2. *Qua occasione Judæis favere cœpit?*

Cùm eidem Babylone expugnata Daniel an-

num ætatis nonagesimum tunc agens, Isaiæ Prophetæ ostendisset oracula, disertè prænunciantis, Cyrum tanquam supremum exercituum Ducem à DEO electum, Judæos, devictis gentibus, libertate donaturum, hos ad annum omnes manumisit, templique Hierosolymitani reædificandi potestatem fecit amplissimam.

3. Quo tandem fato Cyrus tot victoriis inclytus occubuit?

Postquam annis sex Imperii habenas feliciter moderatus est, à fœmina victus, in acie cecidit. Tomyri Massagetarum Reginæ bellum intulerat minimè necessarium, lætis primùm auspiciis, quippe non solùm prælio vicit, sed Reginæ quoque Tomyris filium interfecit. At paulò post redintegratâ pugnâ, superatus atque ad internecionem cæsus est. Occisi caput cervicibus abscissum Tomyris in utrem humano sanguine plenum immisit, his verbis insultans: *Satia te sanguine, quem sitisti.* A. 3524.

§ 2.
Cambyses.

1. Quis secundus Persarum Monarcha?

Cambyses, Cyri filius, Tyrannus sævissimus, vinóque nimiopere deditus. Qua de re cùm Prexaspe familiari suo permodestè fuisset admonitus, arrepto mox arcu & sagitta Prexaspis filio cor trajecit, hoc facto ostensurus, se, utut ... brium (bene enim potus tunc erat) impote...

ſui haud eſſe. Inhumanam jaculantis dexteritatem laudare etiam debuit infelix parens, fateríque, Regem vel temulentũ mentis ſat compotẽ eſſe.

2. *Quæ alia crudelitatis exempla edidit?*

Præter ſororem ſuam duodecim ſenatorii ordinis viros, quòd verum dicere auſi eſſent, de medio ſuſtulit. Quin & in factis ejus cæteroquin egregiis locum habuit crudelitas, ut dum judicem, injuſtitiæ reum, vivum deglubi, pelléque detracta ſellam juſſit induci, in qua filius jus diceret, paternóque ſupplicio ſui ſemper officii commonefieret. Nec minorem in Ægyptios, quos armis ſubegerat, crudelitatem exercuit.

3. *Quis vitæ ejus exitus?*

Cùm de coorta in Perſia ſeditione certior factus eſſet, confeſtim in equum inſiliit, ex quo dum poſtmodum parat deſcendere, gladium, fortè vaginâ excuſſum, in femore ſibi defixit. Quo ex vulnere mortuus eſt A. 3537.

§. 3.
Darius Hyſtaſpis.

1. *Quis tertius Perſarum Monarcha?*

Darius Hyſtaſpis, nobilis Perſa, forte fortuna regnum adeptus. Cyri ſtirps, Cambyſe mortuo, exaruerat. Quapropter Perſarum primores eum Regem conſtituere decreverant, cujus equus die præſtituta exorientem Solem, Perſarum

Deum, hinnitu suo omnium primus salutârit. Sors favit Dario, quem equus suus ad Imperiū evexit. Huic quinque & triginta, quibus regnaverat, annis plurimum negotii Babylonii & Scythæ, átque inprimis Græci facessivêre.

2. *Quo pacto rebelles Babylonios sub jugum misit?*

Insolito prorsus Zopyri ducis Persici stratagemate. Hic naso & auribus sibimet præsectis ad Babylonios transiit, quámque crudeliter à Dario habitus fuisset, non tam vebis, quàm vulneribus ostendit, suam adversùs illum operam prolixè offerens. Asseveranti fides est habita. Cùmque eruptione facta, Persas non sine clade aliqua de composito repulisset, totius exercitus dux constituitur: quo ad Darium adducto, cives refractarios ad deditionem compulit.

3. *Quo successu expeditio in Scythas suscepta?*

Contra hos Darius septies centena millia in aciem eduxit; sed irrito planè eventu. Quippe barbari in montes, quò tantus exercitus penetrare haud poterat, recedentes, è suis latibulis insultàre etiam Dario sunt ausi, cui piscem & murem cum sagittis dono misêre, significaturi, Persas à Scytharum sagittis minimè tutos fore, nisi vel cum piscibus in aquis degere, vel cum muribus sub terra possent delitescere.

4. *Quæ*

4. Quæ bella cum Græcis gessit?

Hos navali prælio vicit, victus vicissim ab iis in campis Marathoniis, Tacendus hîc minimè est Cynægyrus miles Græcus, qui mirificum planè virtutis suæ specimen edidit. Quippe onustam hostium navem natando assecutus, dextrâ primùm, tum lævâ, & præcisâ utraque, mordicus arreptam è fuga retrahere moliebatur, donec & caput eidem abscissum est. Darius porrò postquam è filiis suis Xerxem regni hæredem dixit, provecta jam ætate diem suum obiit A. 3569.

§. 4.
Xerxes.

1. Qua laude hic regnavit?

Cladem parenti in agro Marathonio illatam ulturus tricies centena, ut perhibent, militum millia trans mare in Græcos eduxit. Hunc tam numerosum exercitum cùm ex edito loco contemplaretur, illacrymâsse fertur, secum reputans, paucis pòst annis nè unum quidem tanto è numero superstitem fore.

2. Quæ magnificentiæ dicam, an amentiæ monumenta reliquit in Græcia?

Hellesponto verbera infligi, ferreásque compedes injici jussit, quòd is pontem, per quem transeundum erat militi, aquarum impetu disjecerit. Pontis porrò structores capite idcirco plectebantur. Inde mari quasi insultaturus, ponte

gemino navibus septingentis juncto, exercitum trajecit.

3. Quibus auspiciis cum Græcis conflixit?

Prorsus infaustis; Græci enim pauci licèt numero, at virtute præstantes innumerabili Persarum exercitu intra anni spatium ternis præliis fuso fugatóque, Xerxem è Græcia universa excedere compulêre. Nec feliciore Marte pugnavit Mardonius Persici exercitus dux, ad prosequendum bellum in Græcia relictus, qui & ipse non castris tantùm, sed & vità exutus est, perpaucis tanto è numero Persiam revisentibus. Inter auxiliarias Darii cohortes Artemisia quoque erat, Cariæ Regina celebratissima, quæ, Persis muliebrem animum gerentibus, virili planè constantia & fortitudine cum hoste conflixit.

4. Quam mortem oppetiit Xerxes?

Post bellum hoc ob fœdas libidines, vitæquè turpitudinem suis tam odiosus esse cœpit, ut ab Artabano, prætoriæ cohortis præfecto, regio in conclavi trucidatus fuerit anno regni vicesimo, mundi 3589.

§. 5.

Artaxerxes Longimanus.

1. Qua laude Artaxerxes quintus Persarum Monarcha regnavit?

Hic, quòd brachium seu manum dextram lævâ longiorem haberet, *Longimanus* dictus, occasionem inde captavit, largiore manu aliis

subve-

subveniendi; unde omnium sibi animos mirificè devinxit. In expeditionibus contra Ægyptios Græcósque susceptis modò prosperâ, modò adversâ fortunâ usus est.

2, *Quid, eo regnante, factum Themistocle?*

Insignem hunc Græcorum ducem, quem suorum invidia Athenis ejecerat, Artaxerxes ad se confugientem lætus lubénsque excepit: ac licèt præpotentem antehac adversarium eundem sit nactus; ob virtutem tamen, animíque altitudinem perbenignè ac planè basilicè habuit. Nec alium belli, quod Atheniensibus parabat, ducem optabat, quàm Themistoclem; qui tamen, ut hanc caperet provinciam, in animum inducere haud potuit. Ne igitur aut in patriam, quamvis ingratam, impius, aut in Regem, de se optimè meritum, iniquus esset, mortem veneno sibi conscivit.

3. *Quo nomine in sacris paginis Rex hic vocatur?*

Hic ex quorundam sententia Assverus ille est, de quo in Estheris volumine crebra fit mentio. Postquam Imperii clavum perdiu, feliciterque tenuit, è vita migravit A. 3629.

CAPUT

CAPUT II.
De quinque posterioribus Persarum Monarchis.

§. 1.
Darius Nothus.

1. *Quid de sexto hoc Persarum Monarcha memorandum?*

Hoc regnante templum Hierosolymitanum absolutum tandem, ritúque solemni inauguratum est.

2. *Qua ratione Democritus Darium, amore prorsus infatuatum, ad saniorem mentem reduxit?*

Mulierculam amore tam insano deperibat Rex, ut nihil inausum intentatúmque reliquerit, quo eam, præcoci fato ereptam, ad vitam revocaret. Democritus Philosophus hanc ab inferis suscitaturum se recepit, si ex omni mortalium numero tres duntaxat sibi nominarentur, qui nullius unquam rei tædio per omnem vitam fuissent affecti. Tria hæc nomina defunctæ tumulo inscripturum se, átque hoc pacto in vitam protinus eam reduсturum. Advertit Darius, quid Democritus vellet, stolidóque exinde incepto destitit. Obiit A. 3649.

§. 2.
Artaxerxes Mmemon.

1. *Quid de hoc speciatim commemorandum?*

Septimo

Septimo huic Persarum Monarchæ, qui ob memoriæ felicitatem *Mnemon* sive *memoriâ valens* cognominatus est, multum negotii facessebat Cyrus frater natu minor, à matre inprimis Parysatide adjutus, itémque à Græcis instigatus in fratrem Artaxerxem, à quo acie tandem victus, interiit.

2. *Quæ Monarchæ hujus virtutes?*

Singulari erat humanitate ac beneficentia. Id quod præter alios pastorum quispiam est expertus. Hic cùm Regem dono quodam, ut Persis mos est, prosequi vellet, at prohibente paupertate haud posset, aquam è proximo rivo volâ exceptam Regi obtulit, qui pauperculi pastoris propensum in se animum aureâ paterâ, magnáque pecuniæ summâ remuneratus est.

3. *Quibus potissimùm vitiis virtutes has obscuravit?*

Voluptatum illecebris nimiopere se dedidit. Centum porro & quindecim filii ob vitam, patris exemplo turpiter ac flagitiosè actam magno mœrore senem affecerant, quoad è corpore excessit anno regni quadragesimo, mundi 3689.

§. 3.

Artaxerxes Ochus.

1. *Quis octavus Persarum Monarcha?*

Artaxerxes Ochus Mnemonis degener filius, tyrannide infamis, qui, ut thronum sibi stabiliret, mox à suscepto Imperio è fratribus & propin-

quis

quis octoginta contrucidari jussit. Hac crudelitate populus vehementer commotus, seditionem moliebatur, quam tamen tempori sedavit.

2. *Quæ ejus res gestæ in Ægypto?*

Regionem hanc, quæ ab annis quinquaginta jugum excusserat, sub Persarum denuò imperium redegit. Cùm in Ægypto subsisteret, bovem, ab incolis pro Deo habitum, mactari, & insolemni epulo convivis apponi jussit, substituto & in templum introducto asino, cui Ægyptii bovis loco divinos deferrent honores.

3. *Quo fato interiit?*

Postquam sceptrum sex & viginti annos tenuit, veneno sublatus est à Bagoa, sibi perfamiliari, qui Regis corpus minutim concisum felibus vorandum objecit: ossa verò in gladiorum manubria convertit, ut Ochus vel mortuus tyrannidi deserviret. Erat Bagoas ortu Ægyptius, qui eo ultionis genere injuriam bovi, Deo patrio, illatam, vindicatum ibat. A. 3714.

§. 4.
Arses.

1. *Quis nonus Persarum Monarcha?*

Arses, Ochi filius, qui thronum regium annos haud ampliùs quatuor occupavit.

2. *Quis eum de medio sustulit?*

Bagoas; cùm enim Arses dicere auditus esset, se in patris interfectorem commerito supplicio animadversum, veneno ab eodem necatus est.

§ 5.

§. 5.
Darius Codomanus.

1. *Quis Decimus átque ultimus Perſarum Monarcha?*

Darius Codomanus, quem Bagoas parricida ad ſolium evexit; at paulò poſt deturbare inde, propinato veneno, in animum induxit. Quo comperto Darius proditorem hunc ad ebibendum, quod miſcuerat, venenum compulit.

2. *Quis potentiſſimus Darii hujus antagoniſta fuit?*

Alexander Macedonum Rex, cui Darius tempore breviſſimo Monarchiam univerſam cedere coactus eſt. Deſpexerat hic primò juvenem Macedonem, cui virgas cum pila & auri maſſa dono miſerat, innuens, ſe Alexandrum perinde ac puerum habere, qui ferulæ etiamnum ſubjaceat, aptiórque ſit crepundiis, quàm armis tractandis: cui, ùt cætera omnia ſuppeterent, nervus certè belli pecunia defutura eſſet. At mox contraria omnia oſtendit præſtititque juvenis Alexander, à quo Darius tribus decretoriis præliis debellatus, poſt cladem ultimam & vitam, & regnum amiſit A. 3724. poſtquam Monarchia hæc annos ducentos & octo ſteterat.

Obſer-

Observationes.

De Monarchia Persarum.

1. *Cur in Nabuchodonosoris statua Monarchia Persica pectore argenteo præsignabatur?*

Ad ostendendam ejusdem potentiam, opulentiàmque permagnam quidem; Assyriorum tamen potentiæ & opibus haud æquiparandam.

2. *Quo stimulante Persarum Monarchæ tot bella gessêre?*

Instigante potissimùm superbia, dominandique & Imperii amplificandi libidine.

3. *Cur Persæ, milite licèt numerosissimo instructi ornatíque, hostibus, Græcis præsertim, ut plurimùm succubuêre?*

Quia pius ostentationis præferebant, quàm virtutis bellicæ.

4. *Cur de tribus Persarum Monarchis Smerde, Xerxe II. & Sogdiano nulla hîc mentio fit?*

Smerdis sycophanta erat, qui Smerdem, Cambysis fratrem, mentitus, in regnum, quod septem mensibus tenuit, se ipse intrusit, ac proinde inter legitimos Persarum Reges numerandus haud est. Xerxes II. & Sogdianus, quòd tempore brevissimo regnârint, à pluribus historicis prætermittuntur. Unde & nos, qui brevitati, quoad ejus fieri potest, studemus, supervacaneum esse duximus, de tribus hisce mentionem movere

Pseudo-

Pseudo-Smerdis Cambysi; Xerxes II. verò & Sogdianus Artaxerxi Longimano proximè successere.

5. *Quid emolumenti Monarchia hæc attulit populo DEI electo?*

Spatium huic facultásque data est colligendi sese, templúmque & veri Numinis cultum instaurandi.

6. *Quis Persiæ status ante stabilitam Monarchiam?*

Regni primùm Assyrii pars hæc erat, à quo post Sardanapali tempora avulsa, Medis, ac tandem Cyro cessit.

PARS III.

PARS III.
De Monarchia Græcorum.

Pars hæc tria continet capita. In primo agemus de Græciæ ſtatu ante fundatam Monarchiam, In ſecundo de rebus Græciæ memorabilioribus, imperante Alexandro M. Monarchiæ Græcæ conditore. In tertio de ſtatu Monarchiæ Græcæ poſt Alexandri obitum.

De Græciæ ſtatu ante fundatam Monarchiam.

§. I.
De primis Græciæ antiquæ temporibus.

1, *Quo tempore habitari cœpit Græcia?*

1. Sub annum mundi 1890. Ægialeus initium dedit Regno Sicyoniorum. 2. Regno verò Argivorum Inachus A. 2199. Iſaaci Patriarchæ temporibus. 3. Moyſis tempore A. 2446. regni Athenienſis fundamenta jecit Cecrops, qui & Areopagitarum concilium longè celebratiſſimum inſtituiſſe fertur. 4. Regnum Lacedæmoniorum initium ſumpſit A. 2570. 5. Thebanorum A. 2620. 6. Corinthiorum A. 2645. 7. Micæneorum A. 2757 8. Lydorum A. 2835. 9. Macedonum A. 3240.

2. *Quo*

2. Quo maximè tempore fabulæ apud Græcos invaluêre?

Vigebant hæ quingentis fermè annis usque ad A. M. 2895. quando Græci rerum gestarum veritatem allegoricis ac symbolicis commentis permiscuerunt, sive majoris inde auctoritatis iisdem conciliandæ, sive ingenii exercendi causa.

3. Quæ fabulæ nominatiores?

1. Cadmus primus Thebanorum Rex litteras è Phœnicia, ubi antè inventæ jam erant, in Græciam invexit.

2. Argonautæ Jasone duce in insulam Colchidem navigârunt ad vellus aureum, vel potiùs thesauros ingentes inde avehendos, quibus post maxima pericula, laborésque exantlatos tandem sunt potiti.

3. De Hercule heröe Thebano complura memorantur facinora, miranda prorsus. Ac primò quidem cùm etiamnum in cunis vagiret, geminos angues elisit. 2. Jam adultus aprum terribilem, omnia circumcirca pervastantem, in Erymantho Arcadiæ monte cepit. 3. In Nemæa sylva inusitatæ magnitudinis leonem jugulavit, pellémque detractam pro chlamyde gestavit. 4. In Hesperidum hortis draconem interfecit. 5. In Thracia Regis Diomedis à se devicti corpus ejusdem equis devorandum objecit. 6 In Libya colluctabatur cum Antæo immani gigante, qui quoties terram attigit, fortior ex lapsu surrexit, donec Hercules in aëra sublatum suffocavit.

7. In Lernæa palude septem capitum hydram, cui resecto uno, plura mox capita succrescebant, peremit. Hæc aliáque facta complura Poëtæ ingeniosis suis commentis nimiopere involverunt.

Hercules porrò post tot tantaque facinora Omphalen, *Lydiæ* Reginam, amore tam insano deperibat, muliebri ut veste indutus, nere ad colum vilisque instar ancillulæ eidem deservire non dubitârit. Id quod Deianira, ejus conjux, tam indignè tulit, ut vestem veneno infectam illi miserit. Hanc cùm induisset, totus in rabiem actus, in Oeta monte constructâ pyrâ se ipse combussit.

4. Heroös Græci, Agamemnon nempe, Ulysses, Achilles, aliíque complures urbem Troiam, decem ipsos annos obsessam, stratagemate tandem cepêre. Námque induciarum tempore ingentem equum ligneum, milite refertum, per murorum ruinas in urbem immiserunt, eâque incensa, ac funditus eversa, solum sale consperserunt A 2870.

5. Sub fabulosa hæc tempora inclaruêre potissimùm Prometheus, Atlas, Phaëthon, Deucalion, Orpheus, Midas, Ganymedes, Tantalus, Perseus, Bellerophon, Bacchus, Theseus, Dædalus, Icarus, Oëdipus, Atreus, & Thyestes &c. fabulosis omnes Græcorum carminibus inclyti.

§. 2.
De tempore intermedio Græciæ antiquæ.

1. *Quo tunc loco statúque erant Græciæ regna?*

Pleraque in Respublicas versa & mutata fuêre. Has inter eminebat Sparta & Athenæ, quibus diu multúmque de principatu concertantibus, tandem Sparta prævaluit.

2. *Quid de Codro, ultimo Atheniensium Rege memoriæ proditum est?*

Bello gravi ac diuturno Athenienses inter & Lacedæmonios oborto, ex oraculo cognitum est, eos futuros superiores, quorum dux ab hoste occisus esset. Igitur Codrus amore patriæ pannoso vestitu indutus, ultrò se ab hostibus interficiendum curavit, qui Regis cadavere agnito, memores oraculi, re infecta discessêre A. 2983.

3. *Quæ bella gessêre Græcorum Respublicæ?*

Non pauca cum Persis, eáque felicibus fermè auspiciis. Inde turbis dissidiisque variis ipsas inter Respublicas obortis, opes suas virésque mutuò attrivêre.

4. *Qui ludi Olympii?*

Celebrabantur hi quarto quoque anno completo circa solstitium æstivum ad urbem Olympiam magno totius Græciæ concursu, ubi juventus cursu, saltu, disco, lucta, & cæstibus se exercebat. Qui igitur ex quinque hisce certandi generibus victor evasit, tanquam Olympionices triumphali pompa domum reducebatur. Græci

A. 3278. per Olympiades tempora supputare cœperunt. Olympias porrò spatium erat quatuor annorum & quinti jam inchoati.

5. Quid tempore hoc intermedio singulari insuper memoria dignum?

Tot viri, vel re militari, vel ingenuis artibus ac disciplinis longè celeberrimi, quibus Athenæ potissimùm, & Sparta abundabat. Themistocles, Miltiades, Cimon, Aristides, Pisistratus, Agesiláus &c. genere Athenienses, pro patria fortissimè dimicabant. E ducibus Spartanis celebratissimi fuêre Leónides, Pausanias, & Lysander. Draco & Solon Atheniensibus, Lycurgus verò Spartanis leges præscripserant. Thales, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander, Chilo, & Solon septem illi Græciæ Sapientes erant, famâ ubique notissimi. Homerus Poëtarum princeps, Herodotus Historiæ parens, Æsopus auctor erat apologorum &c.

§. 3.

De tempore postremo Græciæ veteris.

1. Quis Græciæ status tempore postremo ante conditam Monarchiam?

Macedonia haud amplum admodum, & ad id usque temporis propè ignotum Græciæ regnum ad totius orbis Imperium sensim cœpit adolescere. Regnaverat tunc Philippus Alexandri Magni parens, qui, cùm urbium Græcarum vires opesque intestinis turbis ac dissensionibus distractas magnopere & diminutas conspexisset, in turbido piscari cœpit felici admodum successu.

Quippe

Quippe Græciâ universâ in poteſtatem redactâ, omnium tandem Ordinum conſenſu in ducem eſt electus. At enim cùm fortuna quàm maximè affulgeret, inter ipſa nuptiarum filiæ Cleopatræ ſolemnia interemptus eſt.

2. Quinam ſcientiis & artibus tunc maximè eminuêre?

Inter Philoſophos Plato, Ariſtoteles, Socrates, Diogenes, Heraclitus & Democritus. Inter Mathematicos Archimedes cùm Euclide. Inter Poëtas Pindarus, & Sappho poëtria. Inter Pictores Apelles, Parrhaſius, & Zeuxis. Inter Statuarios Phidias & Polycletus &c.

CAPUT II.

De rebus Græciæ memorabilioribus, imperante Alexandro M. Græcæ Monarchiæ conditore.

Hoc capite agemus 1. De rebus ab Alexandro geſtis ante ſuſceptum Imperium. 2. De geſtis ab eodem poſt aditam regni poſſeſſionem. 3. De ejusdem rebus geſtis poſt ſtabilitam Monarchiam.

§. I.

De rebus ab Alexandro M. geſtis ante ſuſceptum Imperium.

1. Quænam Alexander jam inde à puero magni, excelſique animi dedit ſpecimina?

Natus hic erat A. 3698. Cùm de Philippi parentis ſui victoriis, etiam tum adoleſcentulus, in

inaudiisset, flens conquerebatur, nihil sibi à parente relinqui, quod subigeret, ac debellaret.

2. *Quis Alexandrum ingenuis artibus informavit ?*

Aristoteles, vir omni eruditione præstans, quo magistro ingentes in litteris progressus quinque annorum spatio fecit. Neque verò diligentiæ quidquam in se desiderari est passus, frequenter dictitans, se non modò amplitudine dominatûs, sed doctrinæ quoque excellentiâ super alios eminere velle.

3. *Quo animo in suum hunc magistrum fuit Alexander ?*

Summo semper honore prosequebatur Aristotelem, dicere solitus, plus eidem debere se, quàm parenti suo: huic enim non nisi vitam; illi verò bene vivendi artem se referre acceptam.

4. *Quo pacto Leonidæ moderatoris sui in Deos parsimoniam redarguit ?*

Cùm hic Alexandrum puerum plena manu thus aris ingerentem vidisset, submissim admonuit, parciùs nunc ageret, ac tum demum largiore manu thus adoleret, cùm regiones thuriferas subegisset. Cujus rei probè memor Alexander, cùm Arabiâ potitus jam esset, Leonidæ navim thure onustam misit, nuntiaríque jussit, thus Diis adolendo nè porrò parceret.

5. *Qua arte equum Bucephalum domuit ?*

Equus hic generosissimus ingenti pretio venalis proponebatur Philippo Alexandri parenti

qui

qui tamen illum ob ferocitatem perparvi; plurimi contrà æstimabat Alexander, effecturum se pollicitus, ut ferociam poneret. Ridente ad hæc Philippo, equum confestim aggreditur Alexander. Cúmque advertisset, illum suimet corporis umbram perhorrescere, rectà Soli eundem obvertit, miráque agilitate conscendens, ferocientem caballum ea dexteritate circumegit, ut Philippus parens totus primùm attonitus, dein manantibus præ gaudio lacrymis Alexandrum oscula inter & amplexus sic compellârit: *Fili mi, aliud tibi regnū quære; siquidem Macedonia te non capit.*

6. Quid de eodem Bucephalo porrò memorandum?

Quando ornatus erat, armatúsque ad prælium, non nisi Alexandrum sessorem admisit, cui operam mirè fidelem semper commodavit, in pugna præsertim cum Poro Indorum Rege inita, ubi pluribus confossus vulneribus, Alexandrum, præsenti periculo ex acie subductum, in tuto collocavit, ac tum demum vitam positurus procubuit.

§. 2.

De rebus ab Alexandro M. gestis post aditam regni possessionem.

1. Quæ facta Alexandri memorabiliora in Græcia ante bellum Persicum?

Anno ætatis vigesimo regni gubernaculis admotus, mox Græcos nominis sui terrore ita complevit, ut omnes eidem se submiserint, exercitúsque adversus Persas imperatorem, uti antea

Phi-

Philippum, designârint, solis Lacedæmoniis refragantibus, quos idcirco semper in hostium numero habuit. Inde compluribus populis vi armorum subactis, Thebanos, quòd defecissent & ipsi, & totam Græciam ad defectionem solicitâssent, acie vicit, urbem eorum cepit, incendítque, ac triginta millia servituti addicta, venum exposuit. Aristoteli porrò hortanti, animo bellandi avido usque eò imperaret, dum firmiore esset corporis robore, respondit, timendum omnino esse, nè hujusmodi procrastinatione tempus & occasio opportunissima è manibus dimittatur. Igitur exercitum in Asiam trajecit, obfirmato prorsus animo, eam universam sub imperium suum redigendi.

2. Quo successu Alexander bellum gessit Persicum?

Alio prorsus, atque Darius sibi persuaserat. Hic enim Alexandrum velut juvenem insolentem ac temerarium despicatui habuit, utpote qui tantillo, quadraginta forsan millium, exercitu instructus, in regnum tam vastum ac præpotens, quale Persia esset, invadere non dubitaret.

3. Ubinam Alexander cum Darii ducibus primùm conflixit?

Ad Granícum amnem, ubi cum sexcentis Persarum millibus congressus, ingentem edidit hostium stragem, non sine periculo tamen. Quippe singulari certamine cum Darii genero dimicans, hunc quidem peremit; at eodem tempore à Rhó-

Rhósace Persa, fatalem ictum vibrante, haud dubiè occisus fuisset, nisi Clitus, è ducibus unus, interempto ocyùs percussore, Regem præsenti periculo eripuisset.

4. Quando & ubi altera commissa est pugna?

Anno sequenti ad Issum Ciliciæ urbem, ubi Darius centum & decem millibus cum pretiosissima supellectili desideratis, matrem insuper, & conjugem, liberósque captos in victoris arbitratum dedere coactus est. Plurimæ exinde urbes, regionésque Alexandri fidei se permisêre, quas inter Sidon, ubi Abdalonymus ex horto, quem excolendum susceperit, in regium fastigium est evectus.

5. Num & urbs Tyrus Alexandri imperium accepit?

Sola hæc victricibus ejus armis sese opponere ausa, post operosissimam septem mensium obsidionem vi tandem atque impetu capta, direpta, atque in cineres redacta est. Et erat sanè res admiratione dignissima, quòd Alexander fretum præaltum, ac septingentos passus latum, urbem inter & continentem interjacens, labore incredibili opplendum, jactoque aggere, militem urbi admovendum curârit.

6. Quo in Judæos animo fuit?

Hos pariter in ordinem redigere statuit, quòd postulata subsidia denegâssent. At secùs omnino post ejus Hierosolymam adventum res cecidit. Vix enim ante urbis portam Jaddum summum

Sacer-

Sacerdotem, cum Levitis ſibi occurrentem, conſpexit, totus repentè in alium, DEO ſic diſponente, mutatus, ſummo in honore Pontificem habuit, & poſtquàm vero dein Numini in templo litavit, Judæos amicitiæ fœdere ſibi junxit.

7. *Quas pacis conditiones Darius Alexandro tulit?*

Huic filiarum unam in uxorem regníque dimidium in dotem obtulit. Verùm Alexander ad pacis conditiones ut deſcenderet, induci haud potuit, cauſatus, nec cœlum duos Soles, nec Aſiam duos ſupremos capere dominos.

8. *Ubinam tertia pugna decretoria eſt commiſſa?*

Ad Arbela Aſſyriæ oppidum, ubi Darius, licèt decies centena bellatorum millia in aciem eduxerit, ingenti denuò clade accepta, in fugam conjectus eſt.

9. *Quam mortem oppetiit Darius?*

Hunc Beſſus ſatrapa, aureis compedibus vinctum, in ſordidum vehiculum, pellibus undique contectum impoſuit, ubi multis poſtea vulneribus confoſſus miſerè periit.

10. *Quid ad hæc Alexander?*

Mortem tam indignam peracerbè tulit, meritásque de Beſſo parricida expetiit pœnas. Corpus porrò exanime matri Darii miſit, regio apparatu ſepeliendum. Inde Monarchiæ totius poſſeſſione adita, Aſiâ universâ ſolus potiri cœpit.

§. 3.

§. 3.

De Alexandri M. rebus geſtis poſt ſtabilitam Monarchiam.

1. *Qualis Alexander poſt vindicatam Monarchiam?*

Cum veſte Perſica mores quoque barbaros induit. Præcipuè verò ebrietate, iracundiâ, & crudelitate priſtinum nominis ſui ſplendorem haud parùm obſcuravit.

2. *Quæ ejus facinora vituperabiliora?*

1. Perſepolin regiam longè magnificentiſſimam ebrius, ab ebrio ſcorto impulſus, ſubditis ipſe facibus, in cineres redegit. Cujus rei die poſtero ſeria, ſed ſera nimis pœnitentia ſubiit Regem.

2. Clitum, amicorum fideliſſimum, deque ſe optimè meritum, utpote à quo primo in prælio morti ereptus fuerat, temulentus & irâ percitus inter epulas occidit, quòd Regi inſolentiùs ſe jactanti obſtrepere ſit auſus.

3. Calliſthenem Philoſophum crudeliter tortum, naſo & auribus abſciſſis, in ferrea cavea per ludibrium circumduci juſſit, quòd nimiam ei arrogantiam, qua divinos adeò honores ſibi deferendos curavit, exprobrâſſet.

3. *Quem finem vivendi fecit Alexander?*

Poſtquam Hephæſtion Ecbatanis ex crapula obiit, Alexander quoque Babylone potu nimio vitam ſuffocavit. Fortè inter epulas, quas ſumptu maximo perſæpe adornabat, cum famoſo

potore

potore poculis tamdiu decertabat, donec vehementibus ſtomachi doloribus ac febri correptus decubuit. Cúmque calores internos affuſo largiter mero reſtinctum iret, in phrenéſin incidit, paulóque pòſt anno ætatis triceſimo tertio, Mundi 3730. è rebus humanis exceſſit. Sunt, qui Alexandrum veneno ſublatum exiſtiment. Atque ita in ætatis flore morte improviſa extinctus eſt, qui paulò antè orbem propè univerſum perterrefecerat: quódque longè probroſiſſimum, hic talis tantúsque orbis terrarum domitor vitio, quod in mediaſtinum potiùs, quàm in Principem cadere ſolet, turpiſſimè ſuccubuit.

CAPUT III.

De ſtatu Monarchiæ Græcæ poſt Alexandri M. obitum.

Alexander ſolus & unicus erat, qui Monarchiam Græcam, eámque haud ampliùs ſex annis, tenuit indiviſam. Inde ſtirps ejus intra annos duodecim funditus exciſa; Monarchia verò in partes quatuor, totidémque regna, Macedonicum nempe, Aſiaticum, Syriacum, & Ægyptiacum diſtracta eſt. Regia porrò inſignia ſibi vindicârunt ii ipſi, qui vivente Alexandro rem militarem, eóque mortuo provincias poteſtate vicaria adminiſtrandas ſuſceperunt.

§. I.

§. 1.

De Regno Macedoniæ.

1. *Quamdiu regnum hoc porrò steterat*

Annos fermè 157. Regibus septendecim Alexandro succedentibus. Primus erat Antipater; penultimus verò Philippus, qui licèt ob initum cum Carthaginensibus contra Romanos fœdus duriùs ab his haberetur, regno tamen depulsus nō est.

2. *Quando regnum hoc in Provinciæ formam redactum est?*

Perseus Macedoniæ Regum ultimus instaurato cum Carthaginensibus adversùs Romanos fœdere, captus ab his, Romámque abductus biennio pòst obiit Macedoniæ regno Romanis exinde Provinciis adjecto A. 3887.

§. 2.

De Regno Asiæ.

1. *Quo tunc statu res Asiæ minoris fuerant?*

Regnum hoc Antigonus obtinuit; quod tamen ultra annos sex & triginta haud steterat, regnóque Syriæ aliquamdiu adjunctum, in quatuor tandem regna minora, Ponticum nempe, Pergamenum, Armenium & Parthicum dividebatur.

2. *Quinam tandem regnis híscе potiti sunt?*

Omnia, postremo excepto, Romani ante Christi ortum in ditionem suam redegêre. Ac Ponticum quidem sub Mithridate, Pergamenum sub Attalo, Armenium verò sub Tigrane, qui ultimùm omnes regnaverant, occupârunt. Regnum porrò Parthicum, ante Christū natū non subegêre.

§. 3.
De Regno Syriæ.

1. *Quis regni hujus status tunc erat?*

Ducentis & undequinquaginta annis Reges duo & viginti rerum potiebantur. Primus erat Seleucus. Antiochus porrò Epiphanes, tyrannus ille sævissimus, Judæos vehementer afflixit, qui & Machabæos exquisitis suppliciis excruciatos necari jussit.

2. *Quis ultimus Syriæ Rex erat?*

Tigranes, qui ab Romanis regno hoc, in Provinciam exinde redacto, pulsus, Armeniam tamen, alterum suum regnū, quoad in vivis erat, retinuit.

§. 4.
De Regno Ægypti.

1. *Quid de hoc summatim commemorandum?*

Regnum hoc Moysis jam temporibus Reges primùm obtinuerant, Pharaones omnes dicti. Inde Persis, tum Græcis, ac tandem, postquam Reges tredecim ab Alexandri obitu trecentis propemodum annis imperaverant, Romanis cessit. Fuit proinde Ægyptus extrema Græcæ Monarchiæ pars, quæ omnium diutissimè tenuit. Primus Rex Ptolemæus Lagides (hoc est, filius Lagi) erat, à quo omnes deinceps Ægypti Reges Ptolemæi sunt appellati.

2. *Quo præcipuè monumento Ptolemæus Philadelphus gloriam sibi immortalem comparavit?*

Bibliothecâ illâ longè celeberrimâ, septies centena librorum millia complectente, quos inter

& Sa-

e Sacra Biblia, à duobus & ſeptuaginta Judæis
irtute & doctrinâ præſtantibus ex lingua He-
raica in Græcam mirabili prorſus non ſententia-
um modò ſed & verborum conſenſione tradu-
cta, uti in Opuſculo I. meminimus.

3. Qua demum occaſione Regnum hoc in Provinciam eſt redactum?

Cleópatra, ultima Ægypti Regina, cum novo ſuo marito Antonio acie victa, ne in triumpho duceretur, vel hauſto veneno, vel, ut alii perhibent, aſpidis, pectori admotæ, morſu interiit. Atque ita Ægypto ab Romanis occupata, Græcorum Monarchia, cùm annos ſtetiſſet trecentos, penitùs collapſa eſt A. 4024.

Obſervationes.

De Monarchia Græcorum.

1. Cur Monarchia Græca in Nabuchodonoſoris ſtatua ventre æneo, repræſentata eſt?

Quemadmodum metallum hoc duritie ac ſoliditate aurum & argentum vincit; ita Alexander, Monarchiæ Græcæ conditor, & ſua & militum ſuorum fortitudine planè invicta Aſiam univerſam perdomuit. Accedit, quod æs non perinde atque aurum & argentum fulgeat. Pari ratione Alexander factis fortibus excellere maluit, quàm inani ſplendore mortaliū oculos perſtringere &c.

2. Cur olim Græcia tot tantiſque viris, belli uſu, omníque eruditione præſtantibus abundavit?

Diſciplinæ ſeverioris, legúmque ſapientiſſimarum fructus hic erat.

3. *Quid*

3. Quid est, quòd Alexander manu tam parva numerosissimas Darii copias profligârit

Macedones viri erant ferrei propè pectoris & animi, re militari à teneris subacti, duratíque Persæ verò molles, effœminati, deliciisq; innutriti

4. Quem in finem ludi Olympici celebrabantur?

Ut hisce præludiis juventus Græca ad omnis generis exercitationes bellicas assuefieret ac duraretur.

5 Quid Alexandrum ad Monarchiam Persicam armis subigendam adegit?

Insatiabilis eminendi cupiditas, qua ingens ejus animus continuò flagrabat.

6. Cur Alexander devictâ Asiâ tantopere à se ipse degeneravit?

Id otio & luxuriæ, Rerumpublicarum pesti exitiosissimæ erat potissimùm adscribendum.

7. Cur Monarchia Græca mox ab Alexandri obitu divisa fuit, & distracta?

Quòd nemo quisquam, Alexandro par, supererat, qui Imperium tam vastum animi sui amplitudine capere, sartúmque possèt ac tectum conservare.

8. Númne Alexander, in supremo licèt felicitatis fastigio locatus, verè beatus esse dicíque potuit?

Haudquaquam; quod enim operosè admodum ac difficulter obtineri, servaríque potest, quódque tam brevi durat tempore, animum bene constitutum explere satiaréque haud potest.

9. Quo

9. Quo pacto DEUS hac ipsa Monarchia in populi sui electi emolumentum est usus?

Pusillum hunc gregem ab immensa propè Græcorum potentia mirificè tutabatur; tametsi à Syriæ tyrannis eum premi aliquamdiu, idque haud exiguo ejusdem emolumento, minimè verò opprimi sit passus. Atque ita jam tunc præsignificatũ est, DEum futuris quoque temporibus Ecclesiam suam paternè semper mirificéque protectum.

10. Quid porrò ex historia hac discimus?

Quàm inanis & fluxa sit omnis, utut ad culmen pervenerit, humana potentia, & magnificentia, quæ in & cum Alexandro tam citó subitóque rursus evanuit.

PARS IV.

De Monarchia Romana.

Pars hæc ob rerum copiam in duas porrò dividenda est sectiones. In priore agemus de rebus Romanorum memorabilioribns ante Monarchiã; in posteriore verò de Monarchis sive Imperatoribus Romanis usque ad Constantinum Magnum.

Sectio I.

De rebus Romanorum memorabilioribus ante Monarchiam.

Hîc memorandum 1. De Italiæ statu ante Urbem conditam. 2. De statu Romanorum post

Urbem conditam sub Regibus. 3 De rebus Romanorum sub Consulibus.

CAPUT I.

De Italiæ statu ante Urbem conditam.

1. Quis Italiæ status sub primis ejusdem Regibus?

Hac de re nihil ferè cognitum & compertum habemus, cùm pleraque omnia figmentis sint conspersa. Ad Romulum usque unus & viginti Reges, atque ex his omnium primus regnâsse fertur Janus. Hic postmodum in numero Deorū repositus, gemina facie pingebatut. Alterâ, eâque juvenili, Regis hujus in posterum providentia; senili altera rerum præteritarum usus atque experientia denotabatur. Ejus postea honoribus Romæ templum Pacis excitatum est, quod tempore belli patebat, pacis verò tempore occludebatur.

2. Quæ rerum in Italia conversio post excisam Trojam

Æneas Princeps Trojanus anno ab orbe condit. 2871. cum filio suo Ascanio in Italiam delatus, Laviniam, Latini Regis filiam, uxorem duxit, soceróque demortuo, Latinorum regnum jure hæreditario obtinuit.

3. Quid de Proca, ejúsque filiis Numitore & Amulio commemorandum?

Percupiebat Procas, ut gemini hi filii post mortem suam regnum inter sese dividerent. A

Amu-

Amulius id ſibi totum vindicatum ibat. Pulſo igitur Numitore fratre, hujúsque filio interempto, Iliam ſive Rheam Sylviam, Numitoris filiam, in Veſtalium Virginum cœtum cooptandam curavit, ut ſic metu fraternæ ſobolis liber, regnum ſolus poſſideret.

4. *Num votorum metam attigit?*

Neutiquam; nam Rhea Sylvia haud multò pòſt Romulum ac Remum uno eodémque enixa eſt partu, quos Amulius confeſtim Tiberi ſubmergi juſſit. Verùm aqua tunc reſtagnans gemellos hoſce ripæ applicuit, ubi lupæ, ut ferunt, ſeu potiùs mulierculæ, quam paſtores ob profanatum pudorem *Lupam* vocabant, lacte enutriti, indéque à Fauſtulo paſtore educati fuêre.

5. *Quæ porrò ſors utrique obvenit?*

Cùm ambo adoleviſſent, atque ab educatore ſuo cùm de generis claritate, tum de Amulii ſævitia edocti fuiſſent, coacta paſtorum & convenarum manu, Amulium adorti, ſuamet in regia contrucidant, avúmque Numitorem in regnum reſtituunt. Hic grati animi ergo copiam iis dat urbis ædificandæ. Qua illi poteſtate uſi, urbem Romam condunt ſub annum mundi 3301.

CAPUT II.

De ſtatu Romanorum poſt Urbem conditam ſub Regibus.

§. I.

Romulus & Remus.

1. *Quid de Romulo primo Romanorum Rege Proditum eſt memoriæ?*

Hic Urbem reapſe condidit, ſuóque de nomine Romam appellavit; nam Remum in ipſo propemodum operis hujus exorſu de medio ſuſtulit, quòd depreſſiora nouæ urbis mœnia, quaſi fratri inſultaturus, tranſiliiſſet. Urbem ut frequentaret, convenis receptaculum, variorúmque ſcelerum reis aſylum aperuit. Vicinis porrò connubia novo populo præcisè negantibus, Romulus occaſione ludorum Romæ celebrandorum, Sabinas, aliásque virgines, quas ſpectandi cupiditas illuc pellexerat, rapi jubet.

2. *Quis rei tam inſolentis exitus?*

Grave Romanos inter ac Sabinos coortum eſt bellum, quod tamen haud diu tenuit, ipſis, quæ raptæ fuerant, Sabinis ſe interponentibus, palámque profitentibus, ab Romanis maritis ſe nunquam diſceſſuras. Quapropter Sabini cum Romanis pacem & amicitiam perpetuam junxêre.

3. *Quam reipublicæ formam induxit Romulus?*

Populum in tribus ſuas diviſit, quarum ſingulis ſinguli tribuni præerant. Centum quoque

Sena-

Senatores legit, quorum consilio in administranda republica uteretur. Hi ab honore atque ætate *Patres*, *Patritiique* progenies eorum appellati. Ob nimiam severitatem clàm de medio, ut ajunt, sublatus est. A. 3338. indéque in Deorum numerum relatus, Quirini nomine coli cœpit.

§. 2.
Numa Pompilius, & Tullus Hostilius.

1. *Qua laude Numa Pompilius secundus Romanorum Rex magistratum gessit?*

Hic ortu Sabinus, sacra ritè procuravit, flaminésque instituit, ac præter alia templum Jani exstruxit, variis ritibus, qui ad Deorum cultum pertinent, adjectis. Annum in menses duodenos, cùm priùs non nisi denis constaret, divisit, atque ita Republicâ sapientissimè ordinatâ, in commune mirificè profuit.

2. *Qualis Tullus Hostilius, tertius Romanorum Rex?*

Populum Romanum, otio, pacisque artibus sub Numa assuetum, ad belli studia revocavit, bellúmque non unum prosperè confecit. Eo regnante Horatii, trigemini fratres Romani, cum Curiatiis, trigeminis itidem fratribus Albanis congressi, bellum diremêre. Primo mox impetu duo Horatii occubuêre. Tertius porrò superstes tribus Curiatiis singulatim peremptis, palmã obtinuit. Regnârat Tullus usque ad annum 3414.

§. 3. Ancus Martius & Tarquinius Priſcus.

1. Quis quartus Romanorum Rex?

Ancus Martius, qui Urbem amplificavit, noviſque cinxit mœnibus, atque Oſtiam urbem ad Tiberis oſtium condidit. Imperavit usque ad annum 3438.

2. Quis anco Martio ſucceſſit?

Tarquinius Priſcus, qui Corintho Græciæ urbe oriundus, Romæ domicilium fixit. Hunc ob inſignem prudentiam Ancus Martius geminis ſuis filiis tutorem inſtituit. Quo munere ea fungebatur dexteritate, ut ipſum tandem regnum obtinuerit. Regiorum porrò inſignium uſum, pluráque hujusmodi Romam invexit. Regnavit usque ad annum 3476.

§. 4. Servius Tullius, & Tarquinius Superbus.

1. Quæ Servii Tullii, ſexti Romanorum Regis gubernandi ratio?

Perquàm laudabilis; nam & Urbis pomœria denuò protulit, & Rempublicam accuratâ rexit diſciplinâ, occiſus tandem à Tarquinio genero A. 3520.

Quis ſeptimus ac poſtremus Romanorū Rex?

Tarquinius ob animi elationem *Superbus* dictus; homo ferox & truculentus. His toto, quo regnabat tempore, ſi Capitolium Romæ exſtructum excipias, vix quidquam laude dignum geſſit.

3. *Quo*

3. Quo pacto Gabios, Volscorum urbem in potestatem suam redegit?

Fraude ac dolo Sexti, filii sui. Hic cùm Gabios, patris quasi sævitiam declinaturus, cum amicorum fidissimis transfugisset, indéque suorum quempiam Romam sciscitatum ad patrem misisset, is responsi loco in horto summa papaverum capita decussit, hoc facto innuens primoribus quibusque urbis Gabiorum capita similiter demetenda esse.

4. Cur tarquinius cum universa familia in exsilium est ejectus?

Cùm ob sua, tum ob suorum, Sexti præcipuè, Lucretiam matronarum castissimam violantis, flagitia, quæ Tarquiniorum nomen tam invisum omnibus, odiosúmque reddidêre, ut Romani regiæ deinceps dominationis jugum penitùs excusserint. Quocirca gemini mox Consules, qui Rempublicam administrarent, lecti fuêre A. 3545.

CAPUT III.

De Rebus gestis Romanorum sub Consulibus.

Hìc agendum 1. generatim de novi regiminis forma post abolitum regium nomen. 2. De rebus gestis Romanorum ante bellum Punicum. 3. De triplici bello Punico. 4. De bellis externis post eversam Carthaginem. 5. De bellis intestinis ante fundatam Monarchiam.

§. 1.

§. I.

De novi regiminis forma post abolitum regium nomen.

1. *Quis Romanam rexit Rempublicam post Reges exactos?*

1. Bini quotannis Consules creabantur, quorum potestas amplissima ac penè regia, sed unius duntaxat anni spatio circumscripta erat. 2. His dein tribuni plebis, populi postulatu, adjungebantur, qui blebejos à Patritiorum potentia, injuriisque vindicarent. 3. Inde invalescente sensim plebejorum potentia, amotis ab Officio Consulibus, Decemviri surrogabantur, donec paucis pòst annis res ad Consules rediit. 4. Postea ob immodicam plebis libertatem ac licentiam modò Tribuni militares, modò Consules magistratum alternatim gerebant, quoad tandem inter omnes convenit, ut alter Consulum deligeretur è plebe, quæ hujusmodi electionem diu multúmque urgebat. Atque hæc regiminis forma usque ad Monarchicum Cæsarum imperium tenuit.

2. *Ecquodnam Dictatoris erat officium?*

Creari hic, periclitante Republica, solebat, cui summa, regiáque, at non nisi semestris potestas erat. Inde magistratu abiens, eorum quæ gessit, rationem reddere debuerat. Post Reges exactos usque dum Cæsares rerum sunt potiti, Romani perpetua, eáque prosperis ut plurimùm, auspitiis, bella gessére.

§. 2.

§. 2.
De rebus gestis Romanorum ante bellum Punicum.

1. *Quid de his summatim memorandum?*

Intra annos quingentos usque ad belli Punici initium Romani Italiam universam armis subegêre, sícque imperii sui, antea peranguſti, fines magnopere prorogârunt. Inde complura, eaque sanguinolenta exorta sunt bella, è quibus septem duntaxat commemorabimus, nempe 1. Hetruscum. 2. Vejens. 3. Faliscum. 4. Gallicum. 5. Samniticum. 6. Latinum. 7. Tarentinum.

2. *Quæ belli adversùs Hetruscos suscepti origo?*

Tarquinii, Româ ejecti, Pórsenæ, Hetruscorum Regis auxilium imploraverant, hujus ut ope in regni possessionem restituerentur. Condixit operam Pórsena; sed eximia prorsus Horatii Coclitis, & Mutii Scævolæ virtute ab incepto desistere coactus est.

3. *Quis Horatius Cocles?*

Nobilis Romanus, qui hostium, urbi imminentium, impetum, in sublitio Tiberis ponte dimicans, tamdiu sustinuit solus, dum pons à tergo solveretur. Inde in aquas desiliens, ad suos tranavit incolumis.

4. *Quis Mutius Scævola?*

Nobilis pariter Romanus, qui personato habitu in Pórsenæ castra se contulit, Regem occisurus. Sed per errorem unum de Regis administris,

quem

quem ex nitidiore corporis cultu Regem esse conjectaverat, interemit. Hoc cognito errore, quasi supplicium de aberrante dextra sumpturus, hanc foculo injectam adurit, Regique denuntiat, trecentos juventutis Romanæ principes in ejus caput conjurâsse, qui errorem. à se commissum propediem correcturi essent. Hoc sermone, animóque tam intrepido Pórsena totus consternatus, Mutio libertatem, Romanis verò pacem ultrò obtulit A. 3547.

5. Quæ Fabiorum in bello Vejente fortuna?

Bellum hoc soli Fabii, gens Romanorum nobilissima, conficiendum suscepêre. Sex igitur supra trecentos cum magna clientum turba hostem adorti, iteratis hunc velitationibus vincunt, quoad tandem in insidias pertracti, ad unum omnes cecidêre, unico, qui per ætatem armis necdum idoneus erat, in Urbe relicto A. 3577.

6. Quid in bello, contra Faliscos suscepto, memoratu dignum?

Falerios, Faliscorum metropolim, cùm obsedisset Camillus. Ludimagister cum nobilioribus pueris deambulationis obtentu urbe egressus, ad hostem universos abduxit, ut obsessi ad pignus longè carissimum redimendum dedere se cogerentur Nec exiguam idcirco gratiam à Camillo initurum se speraverat. At hic detestatus perfidiam pueros singulos, virgis instructos, proditorem nudatum, vinctúmque cædere, & in urbem jussit reducere. Quo facinore planè egregio

oppida-

oppidanorum animos tantopere ſibi devinxit, ut ſumma omnes voluntate eidem ſe permiſerint A. 3660.

7. Quis exitus belli Gallici?

Galli ingenti cùm exercitu Italiam ingreſſi, direpta incensáque Urbe, Capitolium obſederant. Jámque in muros noctu evasêre, cùm inſolito anſerum clangore excitatus Marcus Manlius, arcis præfectus, hoſtem deturbat. Ex quo tempore in Capitolio anseres magno in honore ſunt habiti. Tandem Manlio cum Gallis convenerat, ut hi acceptis mille auri libris, obſidionem ſolverent. Verùm dum non ſine altercatione aurum expenditur, Camillus Dictator tumultuario cum exercitu ſuperveniens, Gallos ex improviſo adoritur, Romaníque territorii finibus exterminatos præda omni exuit. Sæpius quidem belli exinde fortunam tentârunt Galli, ſed magna ſemper ſtrage fuſi fugatíque fuêre.

8. Quodnam ſub hæc tempora virtutis ſpecimen edidit Curtius, nobilis Eques?

Graſſante per Urbem peſtilentia, terráque medio in foro inter undantes fumi, flammarúmque globos immensùm dehiſcente, ex oraculo cognitum eſt, ad calamitatem hanc depellendam in hiatum injiciendum eſſe id, quo Romani plurimùm poſſunt. Curtius, reputans ſecum, nil quidquam eſſe animo generoſo potentius, prætioſa veſte, armísque indutus, equum conſcendit, ſéque in fori hiatum ultrò præcipitem dedit

A.

A. 3692. ex quo tempore pestilentia cœpit remittere.

9. *Quibusnam auspiciis Romani cum Samnitibus bellârunt?*

Diu multúmque Romanis connitendum erat, ut armis tandem subigerent Samnites, à quibus in ultimas adducti sunt angustias ad Caudium oppidum, ubi circumcirca obsessi, inermes, ac seminudi ignominiæ causâ sub jugo (tribus nempe hastis, humi fixis duabus, supérque eas transversâ unâ deligatâ) transire cogebantur. Quam ignominiam Romani pœnâ talionis, ac demum internecina Samnitium excisione sunt ulti A. 3782.

10. *Quid in bello cum Latinis gesto memorabile?*

Hoc in bello Manlius Torquatus, Romani exercitus dux, filium, quòd contrà, atque in mandatis habebat, cum hoste congredi ausus esset, capite plecti jussit, quamvis gloriosus ex acie victor redierit A. 3715.

11. *Quis tandem belli Tarentini exitus?*

Sub finem bellè omnino, feliciterque cessit Romanis, quorum classem Tarentini piratarum more invaserant, missósque, qui de injuria conquererentur, legatos ignominiâ insuper affecerant. Quapropter bellum iis illatum est. Primo mox prælio victi, à Pyrrho Epirotarum Rege suppetias flagitârunt, qui elephantorum, ad id usque temporis in Italia nunquam visorum conspectu Romanos oppidò consternatos, devicit quidem,

sed

ed tanto & ſuo, & ſuorum diſpendio, ut palàm it faſſus, hujusmodi victoriam ſuis ſe hoſtibus xoptare. Cæteris in prœliis omnino ſuccubuit; inde poſt annos ſex non invitus in patriam remigravit, Tarentinis in Romanorum exinde poteſtatem redactis.

§. 3.
De triplici bello Punico.

1. *Quæ primi belli Punici ſemina?*

Carthaginenſes, Africæ populus, etiam Pœni, orúmque regio terra Punica vocabatur. Unde ellum hoc Punicum appellabant Romani. Houm proſperas admodum expeditiones, in Italia uſceptas, iniquo dudum animo ferebat Carthao, celebris olim urbs. Cúmque haud ex vano etueret, ne Romanorum potentia nimium uantum augeſceret, animum induxit, bello eosem laceſſere. Cujus rei peropportuna brevì ocaſio eſt oblata. Cùm enim & Romani & Pœni in iciliam ſibi vindicatum irent, ad arma utrinque onclamatum eſt.

2. *Quis belli hujus exitus?*

Tribus & viginti annis, quibus bellum hoc teuit, terra maríque acerrimè dimicatum eſt, vitoribus ut plurimùm Romanis. Unde petenibus Carthaginenſibus pax tandem data eſt his onditionibus, Siciliâ ut omnes excederent, granémque pecuniæ ſummam Romanis penderent A. 3812.

3. *Quæ ſecundi belli Punici origo?*

Hannibal Carthaginensium dux longè celebratissimus Saguntum Hispaniæ urbem arcta undique obsidione presserat. Cùm igitur Saguntini fœdere juncti essent Romanis, hi ad eorum partes suscipiendas astringebantur.

4. Quid de Hannibale memoriæ proditum est?

Hic novem haud ampliùs annos natus jerejurando ad aras sese obstrinxerat, perpetuum nomini Romano inimicum se fore. Ut primùm igitur adoleverat, Pœnorum exercitum per Alpes in Italiam traduxit, ubi quaternis mox præliis vicit Romanos, quorum ampliùs quadraginta millia in ultimo prælio, ad Cannas commissô, occubuêre, Nobiliúmque multitudo tanta, ut annulorum aureorum modii complures sint collecti, quos Hannibal Carthaginem misit.

5. Quid ad hæc Romani?

Tantæ cladis nuntio summopere omnes consternati fuêre; actúmque erat de Urbe, si uti novisset victoriâ Hannibal, nec spatium sese colligendi indulsisset Romanis, è quibus Fabius Maximus cunctando (unde & *Cunctator* dictus) Hannibalem tamdiu moratus est, dum Romani, instauratis viribus, hosti repellendo pares essent.

6. Quibus porro auspiciis bellârunt Romani?

Hannibal longiorem in Italia moram pertæsus, novas Carthagine suppetias accersiverat. Jámque Asdrubal Hannibalis frater octoginta millia adduxerat, cùm ab Romanis ex improviso

est

eſt interclusus ac profligatus, antequam suas cum fratris copiis conjungeret. Hannibal exinde Africam repetiit, quem Scipio, à perdomita Africa *Africanus* dictus, tanta affecit clade, ut Carthago pacem petere coacta fuerit, quam his obtinuit conditionibus, nullum ut bellum inſciâ & inconſultâ Româ deinceps ſuſciperet, navésque omnes, triginta exceptis, exarmaret A. 3852.

7. *Num confecto hoc bello Punico pax & otium fuit Romanis?*

Coortum exinde eſt bellum Macedonicum, & Aſiaticum victoribus utrobique Romanis, qui regno Macedonico & Syriaco ſunt potiti.

8. *Quæ tertii belli Punici origo?*

Pœni poſt quinquaginta annorum pacem Maſiniſſæ Numidarum Regi, Senatûs Populique Romani injuſſu, contrà ac pacti olim fuerant; arma intulêre, quos proin, tanquam fœdifragos, bello perſequi ſtatuerant Romani. Ex his Cato Carthaginem, tot turbarum ſeminarium, ſolo æquandam cenſebat. At Scipio nimiam ejusdem potentiam infringendam quidem, at non penitùs opprimendam eſſe autumabat, ut Romani armis identidem exercerentur; ſecùs enim verendum, ne otium, omni bello pernitioſius, Romæ invaleſceret.

9. *Utra ſententia præponderabat?*

Decreta eſt Carthaginis obſidio, Scipione ductore, poſtquam oblatas pacis conditiones rejecerant Pœni. Quatuor annis obſidio tenuit, obſeſſis

extrema

extrema quæque tentantibus. Cúmque ferrum deficeret, quidquid auri argentíque in urbe exstabat, ad arma procudenda insumebatur. Ex lignis dirutarum ædium naves bellicæ, atque ex ipsis adeò mulierum crinibus machinarum funes texebantur.

10 *Quis obsidionis, bellíque hujus exitus?*

Carthago vi tandem capta, atque ab ipsis civibus exusta est, incendio diebus septemdecim grassante. Inde bello huic finis impositus, & Africa in Provinciæ formam redacta est A. 3908.

§. 4.
De bellis Romanorum externis post eversam Carthaginem.

Per singulas Orbis tunc cogniti partes, Europam nempe, Asiam & Africam Romani bella exinde gessêre, uti ex jam dicendis perspicuum fiet.

1. *Quæ Romanorum expeditiones in Europa, confecto bello Punico?*

A bello hoc usque ad Imperii Romani exordium anni fluxêre centum. Interea temporis Romani Hispaniam universam armis subegêre, postquam Numantiam urbem annis quatuordecim à quinquaginta armatorum millibus obsessam in eas compulêre angustias, ut oppidani, rebus jam desperatis, se ipsos, urbémque igne ac ferro absumpserint. Julius Cæsar vi armorum Galliam in Provinciæ formam redegit. Britanniæ annuum vectigal imperatum. Cim-

Cimbri, sive Dani hodierni, postquam Romanos quaternis prælîis fudère, tandem cum Germanis fœderatis ad Aquas Sextias, Provinciæ urbem, ingenti clade accepta, profligati sunt, cæsis millibus ducentis, captisque cum Rege Teutobocho nonaginta millibus. Cæsar porrò Germanorum Regem Ariovistum è Gallia exterminavit, cruentóque fusum prælio trans Rhenū repulit.

2. Quibus regnis in Asia potiti sunt Romani?

1. Regno Pergami, quod Attalus Rex ultimus Romanis cum ingentibus divitiis legavit. 2. Regno Armeniæ sub Tigrane. 3. Regno Pontico sub Mithridate, duarum & viginti linguarum notitiâ, bellicáque virtute claro, quicum Romani diu multúmque conflictabantur. Hic ne in hostium manus incideret, cùm vitam veneno abrumpere frustra tentâsset, ferro se ipse confodit. 4. Fœdus cum Judæis inierant primùm, eósque ab hostibus tutabantur; dein verò & hos sub jugum misère.

3. Quid in Africa Romani gessêre?

Jugurthæ Numidarum Regi intruso bellum indixêre, quod inertiâ perfidiáque ducum largitionibus corruptorum in plures annos præter spem & exspectationem protractum est, donec tandem captus Jugurtha, & Romæ in triumpho est ductus. Regnum porrò Ægypti post Cleopatræ mortem Romanis cessisse suprà memoravimus.

§. 5.

De bellis Romanorum inteſtinis ante fundatam Monarchiam.

Poſtquam ſub Conſulibus Romana potentia ſupremum felicitatis apicem attigerat, turbæ ac diſcordiæ inteſtinæ, quæ multo ſanguine ſteterant, ſunt coortæ, eæque 1. Populum inter ac Senatum. 2. Inter ipſosmet Senatores.

1. *Quæ bella Populus cum Senatu geſſit?*

1. Leges quædam à Tribunis plebis in populi emolumentum latæ multis turbis anſam dedêre. Hujusmodi erat *lex agraria*, qua nobilibus non niſi determinata poſſidere jugera permiſſum erat, agris reliquis inter cives diſtributis. Alia erat *lex frumentaria*, qua commune civitatis granarium conſtruendum præcipiebatur, unde ſuum plebi demenſum præberetur. *Lege judiciali* cautum erat, ut ordo Equeſtris æquè ac Senatorius judicium exerceret, ac jus diceret. *Lege Civitatis* ſociis quoque jus civitatis communicabatur: unde *bellum ſociale* obortum, quo Romanorum ſocii jus civitatis ſibi denegatum, armis extorquere conati ſunt

2. In Sicilia ſervi ob dominorum ſævitiam jugo excuſſo, poſt plures clades Romanis illatas in ordinem tandem ſunt redacti. Bellum iſthoc quoniam cum ſervis gerebatur, *ſervile* dictum eſt.

Spartacus porrò, famoſus ille gladiator, magno pariter ſervorum exercitu conflato, ingentes Romanis clades intulit, quoad tandem perduelles hi plerique omnes contrucidati fuêre.

3. Catilina homo perditissimus, quòd spe Consulatûs decidisset, conjuratione cum ejusdem farinæ sociis facta, Romam parabat incendere. Conspiratio hæc à Cicerone Consulatum tunc gerente, tempori patefacta & oppressa est. Catilina urbe ejectus, nec multò pòst cum tumultuario suo exercitu cæsus, interiit A 3991.

2. *Quæ bella inter Senatores exarsêre?*

Trina: & primo quidem Sylla, Marius & Cinna; altero Crassus, Pompejus, & Cæsar; tertio Lepidus, Antonius & Octavius implicabantur.

1. Marius ætatis prærogativâ, usúque belli præstans, neutiquam committendum censuit, ut Syllæ bellum Ponticum mandaretur. Igitur rem eò deduxit, ut in Syllæ, ab Senatu exauctorati locum ipse surrogaretur. Ea re Sylla vehementer exacerbatus, mox Romam cum parte exercitûs advolat, pulsóque inde Mario, & Cinna in Consulem electo ipse Imperator, jam confirmatus, in Asiam contendit bellum Ponticum confecturus.

Vix Sylla discesserat, cùm Cinna, mutato consilio, Marii partes secutus, Syllæ sectatores omnes Urbe pellit, bonáque eorum diripit.

Quo comperto, Sylla ex Asia Romam præproperè accurrit, longéque plurimos adversæ factionis quà capite, quà exilio mulctat. Perpetuus dein dictator renuntiatus, dignitate hac tertio pòst anno sponte sua se abdicat. Inde uno haud ampliùs anno inter voluptatum illecebras exacto, morbo pediculari confectus interiit.

 2. Craf-

2. Crassum inter, Pompejum, & Cæsarem magna primùm animorum conjunctio erat & conspiratio. Nec multò pòst Crassus in bello Parthico occubuit, cujus ori ob inexplebilem auri sitim aurum liquatum hostes infudêre. Inde Pompejus, ac Cæsar mutua æmulatione ducti, de principatu contendebant: unde exitiabile brevi exortum est bellum. Prior aleam jecit Cæsar Pompejum Italiâ expellendo. Ac ne belli nervus deesset, expilato Romæ ærario, auri argentíque vim maximam secum in Hispaniam avexit, turbas, quas Pompejani illic concitaverant, sedaturus. Ipsum dein Pompejum in Græcia bello persequens, in campis Pharsalicis prælio vicit, qui exinde in Ægyptum ex fuga profectus, sperati asyli loco mortem invenit.

Cæsar porrò Asiæ Europæque rebus compositis, Romam triumphans ingreditur, perpetuúsque Dictator designatus, summam rerum administrat solus. Quocirca à pluribus Scriptoribus primus Romanorum Imperator appellatur. Sed ejus Imperium diuturnum haud fuit; quippe anno nondum exacto, à conjuratis tanquam avitæ libertatis eversor tribus ac viginti vulneribus in curia confossus est A. 4010. Erat Cæsar belli gloriâ & virtute longè celebratissimus, qui præliis quinquaginta varios hostes devicit. Avaritiâ tamen, ambitione & luxuriâ æternam nomini suo notam inussit. In ejus honorem mensis Quintilis Julius est appellatus.

3. Octa-

3. Octavius, Cæsaris & nepos & hæres, cum Lepido & Antonio itidem societatem coivit. Tres isti, Imperio Romano inter se diviso, Triumviri dicebantur. Novæ huic regiminis formæ Brutus, & Cassius, acerrimi avitæ libertatis vindices, vehementer adversabantur; sed irrito planè conatu. Quippe ambo in Macedonia cum omnibus suis copiis profligati, violentas sibimet manus intulère.

Sed & Lepidus Triumviratu non multò pòst abire, & ad Octavii, quicum dissensio ipsi fuerat, arbitrium se conformare cogebatur; cùm nimiæ illius potentiæ reprimendæ par non esset.

Antonio porrò Octavius, subscribente Senatu, bellum indixit, quòd sorore sua Octavia repudiata, Cleopatram duxisset uxorem, déque Ægypto sibimet vindicanda, accusatus fuisset. Hic ab Octavio ad Actium, Epiri promontorium, navali prælio victus, in Egyptum profugit, ubi mortem sibi ipse conscivit.

Atque ita Octavius, Senatu Populóque Romano assentiente, Monarchiam Romanam solus obtinuit A. 4024. quo, Consulari, Reique publicæ regimine abolito, Monarchia Romana reapse exordium duxit.

Obſervationes.
De hiſtoria Romana ante conditam Monarchiam.

1. *Cur Romanorum Imperium in Nabuchodonoſoris ſtatua cruribus ferreis adumbrabatur?*

Quia, uti ferrum reliqua metalla omnia confringit atque comminuit; ita Imperium Romanum cætera omnia regna fregit domuitque.

2. *Undenam tanta Romanorum felicitas?*

Bonis hiſce terrenis fluxisque DEus cùm alias eorum virtutes morales, tum maximè, juſtitiæ colendæ ſtudium remunerari voluit; quandoquidem ob nefarium idolorum cultum, aliaque flagitia præmium æternum ſperare haud poterant. Nec parum ad eam proſperitatem conferebat diſciplina eorum politica.

3. *Quæ Romanorum ſacra, religionésque?*

Hac in re mirum quantum delirabant, Deaſtrorum gregem ingentem divinis adeò honoribus cumulando. Nec res ulla tam fuit abſurda, vilis & ſordida, cui non Deum, aut Deam ſuam præſtituebant.

4. *Undenam in re tanti momenti tam enormis inſania?*

Romani, cætera tam ſapientes, temporis vitæque hujus proſperitatem, Reique cùm publicæ tum familiaris, ac domeſticæ amplificationem mente perpetuò volutabant, ut proin haud vacaret, de veri Numinis notitia cultúque cogitare.

5. *Cur-*

5. Cur Romani ante conditam Monarchiam tam paucos numerabant viros, eruditione præstantes?

Quia perpetuò fermè in armis erant: inter arma verò, ut leges, ita & Musæ silent.

6. An non Julius Cæsar primus Romanorum Monarcha fuerat?

Erat reapse quidem; quocirca passim primus Romanorum Imperator dicitur. Quia tamen Populus Romanus inanem libertatis umbram etiam tum consectabatur, nos unà cum aliis Augustum primum revera Imperatorem fuisse ea de causa existimamus, quòd hic Imperium Monarchicum, astipulante quoque Senatu Populóque Romano, primus sibi vindicârit.

Sectio II.

De Monarchis sive Imperatoribus Romanis usque ad Constantinum M.

CAPUT I.

Rom. Imperatores Seculi I. à Christo nato.

I. Augustus.

1. Quis primus Romanorum Monarcha?

Augustus, qui post victoriam Actiacam orbis totius Imperio est potitus A. M. 4024. Animo erat excelso, benignus & humanus erga omnes.

Viros doctos, quos inter Virgilius & Horatius, impensè amavit fovitque. Unde eo imperante, artes ingenuæ magnopere floruère. Pater patriæ & Auguſtus jure merito appellatus eſt. Ad ejus nomen immortalitati conſecrandum menſis qui antea Sextilis, deinceps Auguſtus eſt appellatus.

2. *Qualis in Caracottam, inſignem latronem, exſtitit?*

Hujus caput multo ære licitatus eſt Auguſtus, cui is ipſe latro ſponte ſe ſtitit, planè & apertè confeſſus ſuúmmet ſe caput afferre, pactamque pro ejus traditione mercedem à regia generoſáque licitatoris munificentia exſpectare. Hinc ei Auguſtus mox dependi juſſit, quòd tantam in ſe fiduciam collocaſſet, vitæque inſuper gratiam fecit.

3. *Quo freno coërcuit iracundiam?*

Cùm ad hanc proclivior eſſet, Athenodori Philoſophi hortatu, quoties ad iram concitabatur, Græcarum litterarum elementa recenſuit, hac ut mora æſtus iracundiæ deferveſceret. Unde factum, ut ſuaviter omnes, comiterque acciperet.

4. *Quamdiu, & qua laude imperavit?*

Annos quatuor & quadraginta magna prudentiæ commendatione Imperii Romani clavum tenuit, pace terra marique parta. Senatum juxta ac Populum partim metu continuit, partim beneficentiâ & facilitate ſibi conciliavit. Ac licet prudentiâ uſúque rerum omnibus longè præſtaret; alios tamen ad conſilium ſuum perlibenter admiſit.

5. *Quæ*

5. *Quæ ejus vitia?*

5. In continentiæ præcipuè labe virtutum suarum splendorem magnopere inobscuravit. Pecuniæ quoque cupiditate laborâsse inde convincitur, quòd Licinium, qui Gallos iniquis exactionibus depeculatus est, non solùm commerito supplicio non affecerit, sed laudibus insuper ac prœmiis cumulârit, postquam peculator hic ad pœnam evitandam asseveravit, omnem illam pecuniam non sibi, sed Cæsari destinatam esse, & coacervatam. Nec parùm à consueta animi firmitudine & gravitate descivit Augustus, quando intellecta legionum selectissimarum, quibus Varus in Germania præerat, clade, per menses aliquot totus consternatus, caput interdum præ animi ægritudine ostio allisit, vociferans: *Quintili Vare, legiones redde.*

6. *Quo tempore Christus est natus?*

Anno Augusti Imperatoris tricesimo JESUS Christus, æternus DEI Filius, vindex paréns que libertatis nostræ, Bethlehemi à MARIA Virgine semper illibata in lucem editus est A. 4053 cùm orbis universus pacis tranquillitate perfrueretur: qua ipsa die Augustus edicto vetuit, se Dominum appellari. Inde annos decem & quatuor Reipublicæ superstes, Nolæ, Campaniæ urbe, mortem oppetiit.

2. Tiberius.

1. *Quid de hoc memorandum?*

Erat Augusti privignus, à cujus tamen moribus

bus omnino degeneraverat. Principia quidem ejus imperii moderatiora fuêre. Hinc cùm à Provinciarum præſidibus de augendis tributis admoneretur, reſcripſit, *Boni Paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere.* Aſylis templorūmque perfugiis, quibus plerique ad licentiam abutebantur, modum præſcripſit. Duodecim Aſiæ urbibus, nocturno terræ motu collapſis, ex ærario ſubvenit, & tributa in quinquennium remiſit. Nec minùs erat liberalis in eos, quorum ædes incendio abſumptæ. Verùm haud diu ſibi conſtare potuit ſimulata virtus; nam paulò pòſt Tiberius in omnem ſcelerum, crudelitatis præcipuè, libidinis, & ebrietatis, licentiam ſe effudit.

2. *Quod ei ingenium?*

Multiplex & tortuoſum. Simulandi, diſſimulandíque artem ita callebat, ejus ut animum ne intimi quidem perſpectum haberent. Cùm æger animi eſſet, ſerenitatem vultu præferebat; at cùm mente eſſet tranquilla & hilari, triſtis omnino & conturbatus videbatur. Quos oderat, blanditiis demulcebat; quos verò amaverat, horrendis quibusque modis exterruit. Unde nemo erat, qui non ab hoc Proteo vitæ ſuæ timeret. Verbum incautiùs prolatum, vultus minùs ei placens, accuſatio quævis, & ſcelus omne, à cocycæis cuipiam affictum, capitale erat: nec ulli delatorum aut calumniatorum fides eſt abrogata. Quin ne intimis quidem amicorum parcitum eſt. Hos inter Sejanus erat, quem Tiberius, ad ſumma priùs evectum, dein repentè ad ima deturbavit.

3. Quo tempore Christus in crucem est actus?

Anno Tiberii Cæſaris undeviceſimo. Hic jam antè, ut perhibent, Chriſtum, de cujus miraculis à Pilato certior eſt factus, Romæ in Deorum numerum referre animum induxit. Obiit communi omnium ordinum gratulatione anno ætatis octavo & ſeptuageſimo, Imperii tertio & vigeſimo, Chriſti 37.

3. Caligula.

1. Majoréne hic laude geſſit Rempublicam, quàm Tiberius, ejus patruus?

Imò hunc nequitiâ & impietate longè ſuperavit. Theſauros immenſos ab eodem relictos brevi admodum tempore dilapidavit. Exhauſtus igitur atque egenus varias & inſolitas prorſus cogendæ pecuniæ artes excogitavit. Utque alia prætercam, ægrotos ac moribundos vi adegit, ſuas ut opes ſibi legarent. Siqui fortè convaluiſſent, hos de medio tolli juſſit, eorum ut bona ſibi vindicaret.

2. Quæ homo hic amentiſſimus extremæ inſaniæ dedit ſpecimina?

Divinos ſibi honores deferendos curavit. Deorum imaginibus capita demi, ſuúmque in eorum locum ſubſtitui juſſit. Equum, cui nomen *Incitatus*, menſæ ſuæ convivam adhibuit, pabulum aureis è lancibus carpentem. Quin & conſulatum eidem deſtinâſſe traditur. Palàm conqueri ſolebat, nulla ſuis temporibus incendia, nullam famem, peſtilentiam, ac terræ motum exiſtere.

3. *Quæ*

3. Quæ, quantáque ejus crudelitas?

Satis ei non erat, homines ufitatis vulgò fuppliciis è medio fuftuliffe, fed lentis & exquifitis tormentis excarnificatos trucidari juffit, etiam atque etiam urgens tortorem. *Ita feri, ut mori se sentiat.* Populo Romano unam duntaxat cervicem exoptabat, uno ut ictu omnes fimul obtruncare poffet. Duo ipfi erant libelli, alter *Pugio*, alter *Gladius* infcriptus. Ambo notas ac nomina continebant morti deftinatorum.

4. Qua morte occubuit?

Cùm fanguinaria hujusmodi agitaret confilia, à prætoriæ cohortis præfecto aliisque conjuratis, geftiente fummopere & applaudente Roma univerfa, triginta vulneribus confoffus eft anno ætatis undetrigefimo, Imperii quarto, Chrifti 41.

4. Claudius.

1. Qua via Imperii folium confcendit?

Ab exercitu præter fpem omnem & exfpectationem fuam Imperator eft proclamatus, dum mortis metu latebris fe occultabat. Senatus enim Romanus Imperium monarchicum jam diu perofus, Cæfarum ftirpem, unde Claudius ortum duxit, funditus parabat exfcindere. At milites Cæfarem, ac nominatim Claudium ea de caufa expofcebant, quòd hic animo effet meticulofo, ac proin moderatiore, quàm Tiberius & Caligula imperio in fuos ufurus videretur, filente ad ifta Senatu, nec ulteriùs refragari aufo.

2. *Quæ*

2. Quæ Claudii indoles?

Hebeti admodum, ac stupido erat ingenio. Hinc factum, ut, qui orbem terrarum regere debuisset, ipsis adeò libertis ac mulierculis regendum se permiserit, à quibus ad immania & indignissima quæque est inductus. Multos ex senatoribus & civibus, quos recens interfici jusserat, postero mox die & ad epulas, & ad aleæ lusum invitavit, & quasi morarentur, ut somniculosos per nuntium increpuit. Occisa porrò ejusdem jussu Messalina conjuge vitiis omnibus contaminatissima, paulo pòst, quàm mensæ accubuit, cur domina non veniret, requisivit. Inde Agrippinam consceleratissimam pariter fœminam matrimonio sibi junxit, à qua boletis, quo cibi genere avidissimè vescebatur, veneno infectis necatus fuisse dicitur, ut Nero, ejusdem Agripinæ filius, quem demens Claudius, posthabito Britannico filio, Imperii hæredem instituit, sceptro citiùs potiretur. Obiit A. Christi 54.

5. Nero.

1. Quæ ejus regendi ratio?

Primo quinquennio, magistro & ductore Seneca, optimus Princeps est habitus; dein eò crudelitatis processit, ut Senecam præceptorem, matrem Agrippinam, uxores geminas, fratrem, propinquos, virósque alios honestissimos & amplissimos longè plurimos contrucidari jusserit.

2. Unde prima Christianorum persecutio oborta?

Auctor

Auctor hujus erat Nero; nam cùm ob Urbem, per ludum ab ipſo incenſam, cives tumultuari cœpiſſent, culpam is ſuam in Chriſtianos derivavit, quos Romæ edictis inſectatus eſt primus, ſuppliciis acerbiſſimis, pœnáque capitis in eosdem ſtatutâ. Horum non paucos, ferarum pellibus inſutos, canibus dilacerandos objecit, alios pice ac ſúlfure illitos accendi, nocturníſque ſpectaculis funalium inſtar prælucere juſſit. Princeps quoque Apoſtolorum Petrus & Paulus ejusdem juſſu morte pariter mulctati fuêre.

3. Quanta ejus prodigentia?

Ut Neronis libidinem plus quàm belluinam ſilentio prætercam, luxus ejus penè incredibilis erat. Nullam veſtem bis induit; piſcabatur reti aureo, mulleorum ſoleas ex argento conficiendas curavit; hominibus diobolaribus vim auri ingentem inconſultè ac temerè dilargiebatur; nunquam carrucis minùs mille iter fecit; palatium inſtar urbis exſtruxit, quod ob aurum, in id operis profuſiſſimè impenſum, Domus aurea Neronis appellabatur.

4. Quam mortem oppetiit?

Execrabile hoc hominis monſtrum ob ſcelerum ſuorum immanitatem omnibus tandem adeò in-inviſum ſe reddidit, ut à Senatu, Populóque Romano ad necem quæreretur. Sed occupavit tyrannus hic carnificis officium, ferro in jugulum ſibimet adacto A. Chr. 68.

6. Galba.

6. Galba. 7. Otho. 8. Vitellius.

1. *Quis Galba?*

Nerone etiamnum ſuperſtite, ab exercitu Cæſar renuntiatus, ſeptimo Imperii menſe à militibus, quos Otho pecuniâ corruperat, Galba verò negato donativo, verbíſque ſeverioribus exacerbaverat, trucidatus eſt.

2. *Quis Otho?*

Imperium per ſcelus occupatum eſt, non niſi quatuor menſibus tenuit. Hic eodem ferè tempore à legionibus Italicis, quo Vitellius a Germanicis, Cæſar proclamatus, ſuis dein ad Cremonam acie victis, violentas ſibimet manus intulit.

3. *Quis Vitellius?*

Abdomen inſaturabile, menſe principatûs octavo & Imperio, & vitâ exturbatum. Cæſar hic à Veſpaſiani militibus captus per Urbem raptatus, multíſque confoſſus vulneribus, in Tiberim projicitur.

9. Veſpaſianus.

1. *Quid de hoc memorandum?*

Tenui fortuna, natus, ſed belli uſu præſtans, à Nerone ad ſedandos Judææ motus mittitur. Imperator ab exercitu ſalutatus, bello copiíſque Tito filio traditis, in Italiam ipſe contendit.

2. *Qua laude regnavit?*

Perinſigni; unde quoſvis ad ſui amorem excitavit. Ea erat erga omnes facilitate, ut gravi licèt ex morbo decumbens, egentiſſimo cuique ſui adeundi alloquendíque copiam fecerit. Sola

est, in qua culpetur, pecuniæ cupiditas; nam ne cloacæ quidem de tributis eximebantur. Morti proximus, *Imperatorem*, ait, *stantem mori oportere.* Dúmque consurgere nititur, inter manus sublevantium extinctus est anno Imperii decimo, Christi 79.

10. Titus.

1. *Quibus laudibus Cæsar hic ornari meretur?*

Vespasiani, boni parentis, melior filius, usquè eò charus summis æquè & infimis erat, ut *amor ac deliciæ generis humani* diceretur. Animo erat tam prolixo & benefico, ut diem illum perditum crederet, quo de nullo bene meritus esset. Nec alium in finem Principibus vitam hanc à DEO datam esse dictitabat, quàm ut omnibus prodessent. Admonentibus porrò domesticis, ne cuivis, ad se adeunti tam facilem benignúmque sese præberet: *Non oportet*, inquit, *quemquã à Principis alloquio tristem discedere.*

2. *Quæ ejus mors?*

Biennio, quàm imperare cœpit, à Domitiano fratre, ut quidam existimant, veneno sublatus obiit, miro sui desiderio omnibus relicto A. Chr. 81.

11. Domitianus.

1. *Quis alteram Christianorum persecutionem edicto vulgavit?*

Domitianus, Vespasiani degener filius, Neroni, quàm Tito fratri similior. Hic sævissimas in Christianos quæstiones exercuit, quorum multa millia vitam pro Christo profudêre.

2. Ecquodnam convivium apparavit?

Humani cùm sanguinis satur jam esset, sequentem in modum, quo nempe Barbari solent, sese oblectaverat. Romanæ Nobilitatis florem ad cœnam adesse jussit, ubi nil nisi funesta & tragica oculis auribúsque obversabantur. Cœnaculum nigris undique tapetibus vestitum erat; sellæ ligneæ, quibus convivæ insidebant, columnis, tumbæ speciem referentibus, erant acclinatæ, è quibus lychni funebres pendebant, singulorum, infrà considentium, nominibus ascriptis. Ad cœnæ initium turba ephebórum nigerrimorum conclave ingressa, ritus omnes, in exequiis usitatos, imitando expresserat. Domitianus ipse perluctuosum de morte sermonem habuit. Unde extremam omnes vitæ horam sibi instare credebant. Tandem Cæsar suam quemque domum curribus equísque regiis avehendum curavit, ubi novus cunctis terror injectus, dum præ suæ quisque domûs foribus præstolantem vident legatum à Cæsare missum; qui non mortis ut sibi persuaserant, sententiam, sed pretiosa ferebat donaria. Atque ita tragœdia hæc læto saltem exitu terminata est.

3. Quanta hominis hujus insolentia?

Hanc ut orbi universo palàm faceret, Dominum se, Deúmque appellari jussit, cùm interim perridiculus hic Deus quotidie fermè in cubile se abderet, horásque aliquot captandis & configendis muscis consumeret.

4. *Quis vitæ ejus exitus?*

Domitiæ conjugis ſuæ nomen in tabulas morti deſtinatorum retulit Domitianus. Has cùm fortè inſpexiſſet, ſuúmque ibi nomen legiſſet Domitia, in perfidi mariti necem conſpiravit, qui proin à ſuis paulò pòſt interemptus eſt anno Imperii decimo quinto, Chriſti 96.

12. Nerva.

Quæ ejus indoles?

Imperator erat mitis ac beneficus, non ex Italia, uti anteceſſores, ſed ex Creta inſula oriundus. Reſciſſis Domitiani actis omnibus, affectam rempublicam inſtauravit. Chriſtianis, quos affligi vetuit, eo imperante, reſpirare pauliſper licuit. Obiit ætate gravis anno Imperii altero, Chr. 98.

CAPUT II.

Imperatores Seculi II.

13. Trajanus.

1. *Quis huic ad ſupremum dignitatis apicem viam aperuit?*

Nerva, qui Trajanum, licèt natione Hiſpanus ac proinde alienigena eſſet, ob eximiam virtutem propinquis ſuis præferens, filium ſibi adoptavit imperiique hæredem inſtituit, cui tanta cum laude præfuit, ut Princeps optimus, ac patriæ pater paſſim ſalutaretur.

2. *Undenam tertia Chriſtianorum perſecutio orta eſt?*

Hànc quidem Trajanus edicto non ſanxit, ut

Nero ac Domitianus; quia tamen nocturnos cœtus, religionésque sectæ suæ adversantes, prohibuit, provinciarum præsidibus ac præfectis ansam præbuit atrociter in Christianos sæviendi. At postquam à Plinio Juniore, Proconsule, de horum moribus inculpatis edoctus est, conquiri eos vetuit; puniri tamen, si offerrentur, jussit, tanquam conjuratos Deorum suorum hostes.

3. *Quid ei potissimùm laudi ducitur?*

Quòd nemo eum unquam iratum viderit, quódque in bello contra Dacos suscepto militum vulnera, deficientibus fasciis, suâmet purpurâ obligârit. Percupere se dictitabat, talem ut Imperatorem se præbeat privatis, qualem erga se esse Imperatorem privatus optâsset. Ejus porrò vinolentiam & incontinentiam vel non notârunt Romani, vel certè dissimulârunt, quòd cætera excellens Imperator esset. Regnavit annos undeviginti cum sex mensibus, obiítque A. Chr. 118.

14. Hadrianus.

1. *Quid de hoc scriptores meminêre?*

Erat itidem ortu Hispanus, Trajani propinquus, eruditione, ac pacis studio inclytus, qui singulari morum facilitate ac suavitate omnium sibi animos conciliavit. Procedentem forte in publicum interpellat anicula, rogátque, aures sibi ut præbeat: neganti porrò Cæsari sibi jam vacare, succlamavit mulier: *Noli igitur regnare.* Ea vox ita movit Imperatorem, ut è vestigio vetulam sedulò ac perbenignè audierit.

2. *Qua laude imperavit?*

Ut omnium necessitati consuleret, Romani Imperii provincias pedes fermè ipse lustrandas suscepit, in præsidum ac procuratorum vitam morésque solerter ubique inquirens. Judæos porrò, nova denuò moliri ausos, iteratis cladibus domuit, penitúsque contrivit. Christianos quoque aliquamdiu acerbè afflixit; brevì tamen Quadrati, discipuli Apostolorum, oratione apologetica placatus est. Decessit anno imperii vigesimo primo, Christi, 138.

15. Antoninus Pius.

Quid de Imperatore hoc summatim commemorandum?

Ab Hadriano adoptatus, Imperium quod summa cum laude gessit, pace refovere, quàm bello proferre maluit. Hinc illud persæpe in ore habebat: *Malo unum civem servare, quàm mille hostes perdere*, dignus profectò, qui barbaris etiam nationibus singulari in amore fuerit ac pretio. Antecessoris sepulchro visendi planè operis molem, quæ Hadriani dicitur, imponendam curavit. Edicto vetuit, quemquam eo duntaxat nomine in jus vocare, quòd Christianus esset. Obiit anno Imperii tertio & vigesimo, Christi 161.

16. M. Aurelius Antoninus, & Lucius Verus.

1. *Quæ utriusque indoles atque ingenium?*

Hi, quòd ambo ab Antonino Pio adoptati essent, *Divi fratres* dicti, concordibus animis

unà

unà regnabant, licèt moribus essent omnino diversis; nam Antoninus probam, improbam contrà Verus ducebat vitam, cui intemperantia mortem præmaturam attulit. Antoninus Philosophiæ (unde & *Philosophus* dictus) ac Stoicæ potissimùm disciplinæ à puero deditus, id inde perdidicit, ut læta inter ac tristia eundem semper vultum præferret. Felici Reipublicæ administratione verissimum esse comprobavit illud Platonis pronuntiatum: *Tum demum beatas fore Respublicas, si aut Philosophi regerent, aut Reges philosopharentur.*

2. Quo prodigio Antonini exercitus præsentissimo periculo est ereptus?

In expeditione adversus Quados & Marcomannos (Moravos & Bohemos hodie vocamus] suscepta, Antoninus luculenti sanè prodigii oculatus ipse testis, imò & præco fuit. Nam cùm ab hostili exercitu, quicum Vandali, Sarmatæ ac Suevi arma & consilia consociaverant, cum omnibus suis copiis interclusus, sitique penè confectus, ad Deos suos frustra confugisset, legio Christiana flexo poplite veri Numinis implorabat auxilium. Et ecce! repentè imber largissimus in Romanorum castra decidit; in hostium verò capita tam horribilis tempestas, grandine ac fulminibus permista, incubuit, ut loco omnes cedere coacti fuerint. Miraculum hoc Cæsar ipse datis ad Senatum Romanum litteris duvulgavit,

vit, religionisque Christianæ cultoribus impunitatem exinde concedendam esse statuit.

3. *Quis quartam Christianorum persecutionem concitavit?*

L. Verus, quo nomine Christiani subinde scriptores Marcum quoque Aurelium ob commune, credo utriusque Imperium, appellant. Lucius porò Verus persecutionem quidem edicto non sanxit, provinciarum tamen præfectis, consilium exquirentibus, responsa dedit longè acerbissima, quibus incitati homines illi, omnis humanitatis expertes, Christianos atrociter insectabantur, carnificinam hanc prosequente Commodo. Obiit M. Aurel. Antonin. Philosophus anno Imperii undevicesimo, Christi 180.

17. Commodus.

1. *Num Imperator hic M. Aurelii parentis sui vestigiis institit?*

Etsi ab hoc ingenuè liberaliterque educatus erat, postea tamen ab assentatoribus corruptus, Neroni aut Caligulæ similior extitit, quàm parenti Philosopho, utpote hominum spurcissimus, tyrannúsque sævissimus, qui non nisi cædes & sanguinem sitiebat. Persecutionem quartam ab eo continuatam fuisse, paulò antè meminimus. Romanos senatoria & equestri familia genitos cogebat secum publicè in arenam descendere, plumbeis duntaxat gladiis instructos, dum è contrario ipse ense ferreo & præacuto armatus proximum quemque ridente ore trucidavit.

2. *Ecquod*

2. Ecquod heroicæ scilicet fortitudinis specimen cum misera imbellíque hominum turba depugnando edidit?

Cœcos, claudos, aliósque aliis corporis vitiis laborantes universa ex Urbe perquiri, circóque includi jussit, singulos singulis spongiis, quibus velut: lapidibus Imperatorem incesserent, instructos. Ipse porrò prægrandi clava armatus, aream ingreditur, & ictum toto corporis nixu quaquaversum librans, obvium quemque mactat, indéque velut re præclarè gesta, triumphantis in morem circo egreditur. Atque hoc hominis monstrum divinos adeò titulos honorésque sibi arrogans, Herculis habitu coli ut Deus voluit. Tandem ob mores Imperatore prorsus indignos execrabilis omnibus, anno tyrannidis decimo tertio strangulatur, eraso ubique ejus nomine, statuísque eversis Anno Christi 192.

18. Ælius sive Helvius Pertinax.
19. Didius Julianus.

Qui qualésque hi duo?

Ælius, vel ob susceptum reluctante animo Imperium, vel potiùs à parente alia de causa *Pertinax* dictus, à prætorianis, disciplinæ militaris, quam urgebat, impatientibus, tertio principatûs mense interfectus est. Didius Julianus Imperium, à militibus emptum, decémque haud ampliùs hebdomadis sibi vindicatum, cum vita amisit, erubescentibus nempe Romanis, & aversantibus Imperatorem, qui supremum magistratum pretio est mercatus.

20. Septimus Severus.

1. *Quo pacto huic Imperium obvenit?*

Ortu Afer, à militibus Imperator creatur. Verùm cùm eodem tempore diversis in locis Pescennius & Albinus Cæsares proclamati fuissent, geminos hosce competitores, iteratis præliis victos, de medio sustulit.

2. *Unde quinta Christianorum persecutio?*

Hanc edixit Severus, summáque crudelitate continuavit. Cùm ob vehementes podagræ dolores ad imperandum minùs jam idoneus videretur, ejus filius ab exercitu Cæsar est salutatus. Quo comperto Severus confestim lecticâ ad curiam se deportari, simúlque novum Cæsarem cum tribunis & centurionibus sisti jussit, quibus summopere consternatis, veniámque delicti submissè petentibus: *Sentitisne*, inquit, *caput imperare, non pedes?* Hunc Senatus judicabat aut nunquam nasci oportuisse, aut nunquam mori, quòd & nimiùm crudelis, & nimis utilis reipublicæ videretur. Cùm extremã adesse horam persentisceret, exclamâsse fertur: *Cuncta fui: sed nihil mihi prodest.* Obiit anno Christi 211.

CAPUT III.

Imperatores seculi III.

21. Caracalla & Geta fratres.

1. *Quid de utroque strictim commemorandum?*

Caracalla ut imperaret solus, Getam fratrem

in

in ipso adeò matris sinu interemit, Deorum in numero postea repositum. Papinianum juris consultum, fraternum hoc parricidium improbantem, aliósque ad viginti millia, qui à Getæ partibus stabant, contrucidari jussit.

2. *Quæ causa cruentæ illius stragis Alexandriæ à Caracalla editæ?*

Alexandrum M. imitandum sibi proposuerat, cui consimilis omnino esse dicique voluit; cùm tamen nihil ejus, nisi cervicem lævum in humerum inflexam æmularetur. Derisus idcirco ab Alexandrinis, crudelem in hos vindictam meditabatur. Urbem enim ingressus, simulabat, prætorianam cohortem delecturum se ex oppidanis, quos proinde in planitiem seductos ab exercitu circumveniri, & occidione occidi jussit. Ubi tantum sanguinis fusum est, ut Nilus longo spatio sanguinolentus decurreret, fossæque ingentes cadaveribus opplerentur. Interiit hoc Romani Imperii probrum post sex anno annorum tyrannidem Macrini astu A. Chr. 219.

22. Macrinus.

Qualis hic Imperator?

Obscuro loco natus, per omnes militiæ gradus Imperii solium conscendit, suffragante exercitu. Sed anno uno, binisque mensibus exactis, cum filio Diadúmeno, puero decenni, in Imperii consortium ascito, acie victus, & interemptus est.

23. Heliogabalus.

1. *Quæ ejus indoles atque ingenium?*

Huic

Huic ob vestes ac mores muliebres, vitámque infandis sceleribus contáminatam infame Sardanapali cognomen est additū. Anno ætatis decimo quinto Imperii gubernaculis admotus, perinde se gessit, ac si à mente discessisset, licèt non vulgari alioquin esset ingenio; quo tamen ad indignissima quæque abusus est.

2. *Quæ hominis hujus ineptiæ?*

Modò patinam prægrandem solis gallorum cristis, modò pavonum duntaxat cerebro, modò solis perdicum ovis refertam, mensæ inferri jussit. Maritimis in oppidis degens, solâ ferinâ, in mediterraneis verò solis piscibus marinis, iisque exquisitissimis vescebatur. Jam non nisi strabones, jam solùm strumosos, aliàs nasones duntaxat aut glabriones ad mensam vocavit, quibus subinde dapes ex ligno solùm vel cera confectas apponi jussit, ventre interim gutturéque esuriales agentibus ferias. Nobiliores porrò convivas culeis, aëre intruso tumefactis, insidere, mensæque jussit accumbere, dum, aura sensim rarescente, in terram universi tandem defluerent. Ad ostentandam Urbis amplitudinem telas aranearum omnes Romæ unum in cumulum, decies mille libras, ut perhibent, pendentem, congerendas curavit.

3. *Quando, & ubi mortalium hic effeminatissimus & inquinatissimus animam impurissimam evomuit?*

Post-

Postquam Imperii solium tribus & ampliùs annis dedecoravit, funestavítque, à militibus, cùm in latrinam se abdidisset, interfectus, pérque urbis vias & cloacas, à plebe raptatus, & post mille tandem ludibria in Tiberim est abjectus, tanquam Urbis, imò & orbis totius fæx ac purgamentum. A Christi 222.

24. Alexander Severus.

1. *Quibus laudum encomiis Imperator hic celebrari meretur?*

Quamquam Heliogabali consobrinus erat, ac vix annos natus sedecim regnare jam cœpit; ea tamen laude gessit, imperiū ut Augustū & Trajanū si non superârit, certè æquârit, Princeps optimus, numerisque omnibus absolutus. Bonarum artium cultor eximius, non nisi hominum eruditorum & sapientum consuetudine delectabatur, assentatoribus, lannionibus, aliisque hujusmodi hominum quisquiliis procul à se amandatis. Ulpianum præceptorem suum, quem aliquando suæmet purpuræ objectu ab hostibus protexisse fertur, maximi semper fecit, & cùm hunc, tum alios viros doctos, quos inter Christiani non pauci in ejus regia versabantur, de rebus omnibus consuluit.

2. *Quod ejus apophthegma?*

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Id quod à Christianis acceptum, ubique in palatio, atque operibus publicis inscribi jussit. Milites rigidâ habebat disciplinâ; unde & *Severus* cognominatus

minatus, & hac ipsa de causa ab iisdem peremptus tandem fuisse dicitur anno Imperii decimo tertio, Christi 235.

25. Maximinus.

1. *Quis qualisque hic fuit?*

Genere Thrax, ex pastore primùm miles, dein dux, postremò non Senatûs, sed militum suffragatione Imperator, corporis staturâ prope gigas, immanitate Busíris, aut Phálaris, robore juxta atque edacitate Milo, utpote solus cum duodecim viris congredi & colluctari ausus, unóque in prandio quadraginta omnino libras bubulæ devorare solitus. Hic necis, Alexandro illatæ, machinator præcipuus fuisse traditur.

2. *Unde sexta Christianorum persecutio?*

Tyrannus hic truculentissimus primum furorem in eos effudit, quos natalium suorum conscios nôrat, ne fidissimis quidem amicorum parcens. Inde promiscuè in omnes, maximè in Christianos sævire cœpit, ad necem quæsitis Sacerdotibus potissimùm & Doctoribus, ut pusillum Christi gregem, pastoribus destitutum, dissipare faciliùs posset, ac perdere.

3. *Quis Imperii ejus exitus?*

Ob crudelitatem plùs quàm barbaram à Senatu Romano Reipublicæ hostis judicatus est, inaugurato in ejus locum Gordiano, qui ingravescente jam senecta filium cognominem Imperii consortem sibi adjunxit. Verùm cùm paulò pòst ambo occubuissent, Senatus Pupienum & Balbinum

num Imperatores dixit; qui tamen, quòd electi non fuissent exercitu suffragante, à militibus interfecti sunt. Interim & Maximinus in castris ad Aquilejam positis, cum filio trucidatus est anno tyrannidis tertio, Christi 237.

26. Gordianus.

1. *Cur hic ad Imperii solium præ aliis est evectus?*

Cùm ob geminos, quos diximus, Gordianos, quorum prior avus, posterior parens, vel è quorundam sententia avunculus fuerat; tum ob præclaram prorsus indolem, eximiásque corporis & animi dotes summo omnium ordinum consensu imperator electus ac receptus est, sexdecim licèt, aut tredecim duntaxat annos natus. Inter primum imperii rudimentum ab assentatoribus deceptus, fecit, quæ infecta dein voluisset. Qua de re cùm à Misitheo socero suo, eximiæ virtutis ac prudentiæ, commoneretur, exclamavit: *Miserum esse Principem, apud quem vera sileantur.*

2. *Quo fato sublatus est?*

Extincto, Philippi fraude, Misitheo, cujus operâ & consilio Gordianus insignes, ab hostibus victorias reportavit, ipse dein ejusdem Philippi artibus ac perfidiâ imperio primùm, móxque & vitâ spoliatus est anno post initum principatum sexto, Christi 244.

27. Philippi, pater & filius.

1. *Quo pacto hi Imperium obtinêre & amisêre?*

Philippus Arabs, obscuris ortus natalibus

sicut

ſicut violenter invaſit Imperium, ita iſtud quinquennio pòſt amiſit, violenta pariter morte ſublatus ab exercitu, quem Decius in ſuas priùs pertraxit partes. Eodem tempore Philippus filius, quem parens collegam ſibi aſcivit, Romæ interemptus eſt A. Chriſti 249.

2. Num ambo hi Philippi Chriſtianis ſacris initiati fuêre?

Affirmant non pauci; ac patrem quidem, quidquid in Gordianum antehac commiſiſſet, ſacro poſtea baptiſmatis fonte eluiſſe teſtantur. Alii contrà aliter ſentiunt; háncque honoris prærogativam Conſtantino M. vindicant.

28. Decius.

Quis ſeptimam Chriſtianorum perſecutionem ferali edicto ſanxit?

Hic ipſe Decius, qui Chriſti ſectatores undique conquiri, & igni ferróque ex orbe univerſo exterminari juſſit. Verùm mox altero Imperii anno in expeditione adversùs Scythas ſuſcepta à Treboniano Gallo ſtratégo ſuo, proditus, inque inſidias eſt pertractus. Quas cùm declinare vellet, unà cum equo, cui inſidebat, in profundiſſimam paludem demerſus & vivere, & videri deſiit A. Chriſti 251.

29. Gallus & Voluſianus.

Quam ignominiæ notam Gallus, Decii proditor, & Chriſtianorum quoque exagitator nomini Romano inuſſit?

Pacem cum Scythis iniit, probroſa hac conditione

tione adjecta, annuum ut iis tributum ab Romanis penderetur; ac proinde Romam, orbis Dominam, barbaris vectigalem fecit, id quod nunquã antea usu venit. Quocirca Gallus cum Volusiano filio juxtà ac Collega interemptus est anno Imperii altero, Christi 254.

30. Æmilianus.

Cur homo hic obscurus, ac natione Barbarus Imperator est acclamatus?

Profligatis hic Scythis, prædam omnem inter milites divisit, qui proinde Imperatorem eum salutàrunt. At postquam Valerianum cum Gallieno ad supremam hanc dignitatem promotum esse inaudierant, Æmilianum cùm ob generis humilitatem, tum ob belli civilis metum post trimestre imperium vità privàrunt.

31. Valerianus & Gallienus.

1. *Unde persecutio octava est coorta?*

Hanc Valerianus magi cujusdam Ægyptii impulsu concitavit, qua durante Christiani, atque inter hos Laurentius, Hyppolitus, aliique plurimi, atrocissimis tormentis sunt excruciati. At brevì DEum sensit ultorem, dum à Sapore Persarum Rege victus captúsque servitutis longẽ probrosissimæ jugum subire cogebatur. Quippe Rex barbarus, equum conscensurus, Valeriani Augusti dorso pro scabello uti, ferreæque idcirco caveæ inclusum ubique secum circumferre consuevit. Tandem vivum deglubi, corpúsque fœdè laniatum sale perfricari jussit.

2. *Quis*

2. *Quis Gallienus?*

Homo impius, omníque ſcelere coopertus; qui parentem Valerianum ſciens voléosque duriſſimâ attineri cuſtodiâ eſt paſſus, licèt ad eum liberandum à ſuis identidem ſolicitaretur. Infame hoc libidinis ac gulæ mancipium otio & luxuriâ diffluebat, dum vis undique coorta Romanum concuſſit Imperium; quod triginta omnino tyranni vel ut hoſtile ſpolium inter ſe partiebantur, Imperatoris quisque titulo ſibi arrogato. Cùmque eodem tempore barbari quoque varias in provincias irruptionem feciſſent, tandem Gallienus alto quaſi ſomno excitatus, ad arma conclamare cœpit. At paulò pòſt à conjuratis ad Mediolanum interfectus eſt A. Chriſti 268. poſtquam cum parente ſeptem, ſolus octo, universè quindecim annis Imperii ſolium contaminavit

32. Claudius II.

Qua laude geſſit Imperium?

Diſciplinæ militaris apprimè peritus, afflictam anteceſſoris ſui ignaviâ Rempublicam erexit Dubitante porrò Senatu; priúsne tyranni, quàm barbari bello ſint petendi, Claudii hæc erat ſententia: Tyrannos hoſtes eſſe imperatoris, barbaros verò Imperii ac Reipublicæ, ac proinde hos priùs debellandos eſſe: quod & factum eſt ſucceſſu tam proſpero, ut ampliùs trecenta Gothorum millia cæſa, naves bis mille demerſæ, indéque tyranni inſuper oppreſſi fuerint. Interim Claudius lue peſtifera altero Imperii anno

Princeps

Princeps laudatissimus, nisi in Christianos sæviisset. Successit Quintillus frater, qui post dies septendecim vel à militibus, vel venis sibimet incisis periit. Unde à Scriptoribus plerisque silentio prætermittitur.

33. Aurelianus.

1. Quid de hoc memorandum?

Obscuro loco natus, sed rebus gestis clarissimus communibus suffragiis obtinuit Imperium, quod ab hostium incursionibus egregiè tuebatur. Zenobiâ Reginâ virilis animi fœminâ, quæ in Oriente rerum potiebatur, victâ, captáque, ac Tetrico, qui Galliam sibi vindicaverat, in ordinem redacto, triumphum egit, quo magnificentiorem ad id usque temporis Roma non vidit. Occisus est anno Imperii quinto, Christi 275.

2. Unde nona Christianorum persecutio?

Quamquam Aurelianus à promulgando fatali in Christianos edicto absterrebatur miraculo, quo manus ejus parata subscribere, subitò diriguit; eo tamen regnante, non pauci extrema pro Christo supplicia subiêre sive ipsius, sive potiùs præfectorum culpâ.

3. Quis Aureliano successit?

Post septem mensium interregnum, cùm exercitus Senatui, hicque illi Imperatoris eligendi potestatem permisisset, tandem ab Senatu designatus est Tacitus prudentiâ & moderatione insignis, qui facto non uno demonstravit, boni Principis esse magis amare Rempublicam, quàm

suos. Post semestre imperium aut morbo, aut militum, disciplinæ impatientium, insidiis de medio est sublatus. Hujus frater Florianus exinde Imperium, hæreditario quasi jure sibi debitum, invasit, quod duos duntaxat menses tenuit. Nam postquam Probus à magna exercitûs parte Imperator est acclamatus, aut militum, aut suamet manu interiit.

34. Probus.

1. Quibusnam laudibus celebrari meretur?

Ob eximiam rei militaris peritiam, dotésque planè regias, loco licèt infimo natus, ad supremum dignitatis fastigium ascendit. Germanos Galliam infestantes omnino compescuit, quadraginta facilè millibus cæsis, novémque eorum quà regibus, quà regulis ad pacem veniámque supliciter petendam compulsis. Bello hoc, aliisque compluribus prosperè confectis victor gentium gloriosissimus Romam revertit.

2. Quem ibi triumphum egit?

Longè magnificentissimum, ad cujus splendorem celebritatémque augendam arbores proceras, cum ipsis adeò radicibus, evulsas, è sylvis advehendas, & in Circo maximo in terram depangendas, curavit, ut in sylva hac artificiosa ludicris quibusdam venationibus oculos, animósque spectatorum oblectaret. Hunc in finem mille primùm struthiones, totidémque cervos & apros, die verò insequente leones ducentos, leopardos centum ac totidem ursos agitari jussit. Quæ o-

mnia demum populo in prædam cefsêre.

3. Quo fato est sublatus?

Pace terra maríque parta, cùm pro more suo milites frequenti nihilominus opere exerceret, ab iisdem interemptus est anno Imperii sexto, Christi 282.

35. Carus parens, Numerianus, & Carinus filii.

1. Quis Carus?

Hic recuperatis quæ ab Romano priùs Imperio avulsæ fuerant, Provinciis quibusdam, aut morbo, aut ictu fulminis interiit, cùm annum, eóque ampliùs imperâsset.

2. Quis Numerianus?

Bona præditus indole, orat órque ac poëta insignis, cùm ob assiduas lacrymas, quibus parentis mortem prosequebatur, ex oculis graviter laboraret, atque idcirco in cooperta lectica gestaretur, ab Apro socero, Imperium affectante, occiditur. Hujus mortem Apri cæde ultus est Diocletianus, à militibus in Numeriani locum suffectus.

3. Quis Carinus?

Alter Cari filius, à patris ac germani moribus omnino degenerans, utpote crudelitate, lasciviâ, aliisque vitiis infamis. Caro ac Numeriano in Orientem profectis, ipse interim in Occidente rerum potiebatur ob profusissimam libidinem militibus tantopere invisus, ut eapropter à tribunis suis trucidatus fuerit altero Imperii A. Chr. 284.

36. Diocletianus & Maximianus.

1 *Quis Diocletianus?*

Erat origine Dalmata, familiâ ignobilis, sed disciplina militari nobilitatus, qui ut spectabilior esset, vestes, imò & calceamenta gemmis distinxit; cùm tamen Imperatores alii non nisi chlamydem auro intertextam solerent induere. Quin eò insolentiæ processit, ut divinos adeò honores sibi deferendos curârit.

2. *Quis Maximianus?*

Homo agrestis, è Pannonia oriundus, quem ob rei militaris peritiam Diocletianus in Imperii consortium ascivit, eò dein gratiorem, quò crudeliorem in Christianos expertus fuerat.

3 *Quis decimam per secutionem edixit?*

Diocletianus & Maximianus Postrema hæc quidem, sed & omnium atrocissima erat persecutio, extrema quæque tentante inferni tyranno, Christianum ut nomen omnino exscinderet. Igitur Christianorum sanguine inundatus terrarum orbis, soláque in Ægypto Fidei Christianæ causâ ultrà centum quadraginta quatuor millia morte, exsilio verò septingenta omnino millia mulctata fuêre. Adhæc Romæ mensis unius spatio septendecim Martyrum millia dinumerabantur, & Nicomediæ una die (Domini natalis erat) undique in templo permulta Christianorum millia concremata sunt.

4. *Cur duo insuper Cæsares sunt creati?*

Cùm & tyranni & barbari Imperium undique

incur-

incurſarent, gemini illi Imperatores, utpote tot hoſtibus repellendis impares, duos ſibi collegas cooptârunt, Conſtantium nempe Chlorum & Galerium, Imperio ita diſpartito, ut ſuam quisque partem ab hoſtium incurſionibus tueri poſſet.

5. Cur Diocletianus & Maximianus Imperio ſe abdicârunt?

Ille Imperii ut oneribus curísque innumeris ſeſe eximeret; hic verò ne Collegæ diſpliceret, ambo forſan ex deſperatione exſtirpandæ Religionis Chriſtianæ, quam, tanto licèt ſanguine ubique terrarum effuſo, magis in dies magísque floreſcere viderunt, latiúsque diffundi,

6. Quæ utriusque vivendi ratio, depoſitâ purpurâ?

Diocletianus Salonas, Dalmatiæ urbem, patriam nempe ſuam, ſecedens, hortum manu ſua novem ipſos annos coluit, dum tandem Conſtantino M. ad Imperii ſolium evecto, conjurationis inſimulatus, mortem, manu alioquin aliena inferendam, ſibi ipſe conſcivit. Maximianus porrò cùm Imperii clavum, quem propè invitus abjecerat, recipere omnino in animum induxiſſet, Conſtantini juſſu, cujus vitæ inſidiabatur, ſtrangulatus eſt anno ſexto, quàm ab Imperii gubernaculis receſſit.

37. Conſtantius Chlorus & Galerius.

1. Qua conditione Maximianus in Imperii conſortium aſcivit Conſtantium?

Ut repudiatâ Helenâ, ex qua Conſtantinum

susceperat, Theodoram, Maximiani privignam, matrimonio sibi jungeret, sicque cum collega juxtà ac socero suo conjunctior viveret,

2. *Quæ Constantii virtutes ac decora?*

Eximia erat in omnes, etiam Christianos, facilitate ac beneficentia, atque idcirco omnibus longè acceptissimus, imò & dives satis etiam sine exactionibus pecuniariis, utpote qui veras Principis opes in fide amoréque subjecti sibi populi positas, sicque longè meliùs tutiúsque elocatas ac depositas nôsset. Idem, ethnicus licèt, cùm quosdam aulæ ministros aut Christum, aut aulam deserere jussisset, eos qui Christum aulæ anteponebant, retinuit, cæteros verò dimisit, ratus, nec in se fideli futuros animo, qui ne in DEum quidem suum fuissent. Imperator hic Constantiam urbem ad lacum Acronium condidit adversus Alemannorum irruptiones. Obiit A. Chr. 306.

5. *Quis Galerius?*

Diocletiani gener, consórsque Imperii, pastor olim armentorum (unde & *Armentarius* cognominátus] homo sævus ac truculentus, crudelitaterque in Christianos, perinde ac gemini illi tyranni Licinius & Maximinus, quos sibi collegas cooptaverat, infamis. Fœdo atrocique morbo & Galerius & Maximinus, quem Licinius acie vicit, consumptus periit, vivus uterque à vermibus corrosus. Licinius porrò à Constantino M. qui A. Chr. 306. suscepit Imperium, profligatus, & à regni gubernaculis est dejectus.

Obser-

Obſervationes.

De Imperatoribus, qui primis tribus Seculis regnârunt.

1. Quis Romani Imperii ſtatus ſub Imperatoribus?

Seculo primo ſub Auguſto, imò & ejus ſucceſſoribus, licèt profligatæ plerique vitæ eſſent; nec non Seculo ſecundo ſub Imperatoribus magnam partem probis Imperium ſummopere floruit. Tertio porrò Seculo, Imperatoribus nunc probis, nunc improbis Reipublicæ gubernacula tenentibus, multis magníſque calamitatibus conflictabatur.

2. Melioréne loco Romana erat Reſpublica ſub Conſulibus, an ſub Imperatoribus?

Si æquè boni fuiſſent Imperatores omnes, ſub his meliore haud dubiè fuiſſet ſtatu.

3. Quam ob cauſam Romanorum Reſpublica in Monarchiam eſt mutata?

Ob bella inteſtina & internecinas civium diſcordias ac factiones, quibus alioqui Reſpublica hæc penitus fuiſſet diſturbata, niſi ſub unius redacta fuiſſet imperium.

4. Unde tot Imperatorum vita longè flagitioſiſſima?

Cùm ex rerum omnium abundantia, tum ex effrenata quidvis audendi licentia; tum etiam ex defectu Religionis orthodoxæ, quæ optima morum magiſtra eſt.

5. Cur

5. *Cur tertio præcipuè Seculo ali identidem, aliique Imperatores eligebantur?*

Cùm ob inconſtantiam militum, Imperatores arbitratu ſuo deſignantium, rurſúsque Imperio aut vitâ privantium; tum ob æmulorum, ſupremam hanc dignitatem affectantium ambitionem ac dominandi libidinem.

6. *Cur Imperatores militum plerumque ſuffragatione eligebantur?*

Quia hi & potentiâ víque armorum, & auctoritate plurimùm tunc poterant.

7. *Num veriſimile eſt, Trajani Imperatoris animam S. Gregorii M. precibus ereptam poſtmodùm ex inferis fuiſſe?*

Anilis hæc fabula eſt, à viris doctiſſimis pridem exploſa, invictísque argumentis confutata.

8. *Quo tempore fides Chriſtiana Romæ cœpit floreſcere?*

Ineunte Claudii principatu, cujus anno ſecundo, vel, ex aliorum ſententia, decimo S. Petrus, Chriſti Vicarius, Romæ ſedem fixit Pontificiam.

9. *Cur Imperatorum nullus Chriſtiana ſacra ſuſcepit, quamvis tot tantaque miracula vel viderint ipſi, vel ex teſtibus fide digniſſimis audierint?*

Quòd ob vitam flagitioſiſſimam indignos, parúmque idoneos ſe redderent ad cœleſtem Evangelii doctrinam percipiendam.

10. *Cur Imperatores in Chriſtianos, ab omni vitio remotiſſimos, tam ſævas exercuêre quæſtiones?*

Tum

Tum instinctu impulsúque tyranni Stygii ejúsque satellitum, poparum præcipuè, tum quód Christianorum vita moresque inculpati perversis Imperatorum moribus ac vitæ è diametro erant oppositi.

11. *Cur DEus nascentem Ecclesiam tam atrocibus vexationibus premi est passus?*

1. Ut palàm faceret, ejus uti exorsus, ita & progressus atque incrementa non humanæ industriæ ac sagacitatis, sed divinæ potentiæ ac sapientiæ opus esse prorsus mirandum; secùs enim tot tantísque insectationibus à potentissimis mundi Monarchis ubique terrarum agitata & jactata succumbere pridem debuisset, funditúsque interire. 2. Ut omnibus perspicuum esset, Religionem Christianam non posse non esse veram, utpote ad quam testificandam tot centena Martyrum millia vitam & sanguinem summa animi alacritate ultrò profudissent. 3. Ut nascens Ecclesia perinde atque arbor novella, his ipsis persecutionum ventis circumflantibus firmiores altiorésque radices ageret.

12. *Nónne magìs è re usúque fuisset Ecclesiæ, si Imperatores omnes eidem favissent?*

Neutiquam; sic enim grande hoc divinæ sapientiæ ac potentiæ opus videri potuisset humanis potiùs consiliis subsidiisque niti.

13. Si persecutiones tantum emolumenti attulêre Ecclesiæ, cur DEus hanc non ab omnibus Imperatoribus affligi vexaríque est passus?

Quia suavissimæ DEI providentiæ ordo aliud videbatur exigere, qui sicut nocti diem, hyemi æstatem, nubilo serenum; ita & læta tristibus, amaris dulcia, prospera adversis perpetua vicissitudine vult succedere. Et sicut venti perpetui, ac vehementes arbusculam non durarent firmaréntque, sed pessúndarent; ita & persecutiones, nisi DEus his modum posuisset, non æquè utiles fuissent nascenti Ecclesiæ: tametsi hæc uti hucusque, & deinceps perstitura sit semper immobilis & invicta, nullis, quantiscunque demum, persecutionum assultibus expugnanda.

14. Cur DEus amicos suos longè dilectissimos acerbissimis & indignissimis vexationibus premi, hostes verò conjuratos, Imperatores nimirum ethnicos, bonis omnibus affluere est passus?

1. Ut viam nobis ad cœlum monstraret, asperam quidem, oppidóque difficilem, certissimam tamen, & expeditissimam, quam Christus ipse, caput & Dux noster, præivit, Sanctíque omnes instituêre. 2. Ut mortales inde condiscerent, quàm parvi, imò nihili regna mundi omnia, Principatus, dignitates, honores, voluptates, divitiæ &c. sint faciendæ, cùm DEUS cuncta hæc, tan-

tanquam viliſſimas quisquilias, faſtidiat, relinquátque hoſtibus ſuis inſenſiſſimis, acerbiſſimæ exinde ſervitutis jugum apud inferos æternùm ſubituris; ſuis contrà ſectatoribus, rerúmque harum omnium contemptoribus regnum deſtinet omni ævo daraturum. Quapropter deflenda ſummopere tot hominum cœcitas, dicam, an ſtultitia, qui ut puncti illius, quod inter tot gentes igni ferróque dividitur, particulam quandam obtineant tandem, penſi nil habent regni illius cœleſtis, ſempiternis ſeculorum ætatibus duraturi jacturam facere irreparabilem.

Omnia ad majorem DEI Gloriam.

Tabula Chronologica quatuor Monarchias complectens.

Monarchia Assyriorum.

Reges Assyrii.	Anni Reg.	usque ad añ.
1 Nemrod ab anno Mũdi 1879	65.	1944.
2. Ninus. - - -	52.	1996.
3. Semiramis - - - -	42.	2038.
33 Reges universè imperãtes ã.	1120	
37. Sardanapalus - - -	20.	3178.
41. Salmanasar - - -	8.	3317.
42 Sennacherib - -	6.	3323.
44. Merodach ab ann 3345.	40.	3385.
47. Nabuchodonosor - -	44	3472.
49. Balthasar - - -	20.	3516.

Stetit annis 1637.

Persia pars priùs erat Assyriorum Monarchiæ, à qua, extincto Sardanapalo, avulsa, Medis primùm, ac demum Cyro cessit.

Monarchia Persarum.

Reges Persarum.	Anni Reg.	usque ad añ.
Cyrus ab ann 3516. -	8.	3524.
Cambyses -	7.	3532.
Darius Hystaspis filius	36.	3569:
Xerxes I. - -	20.	3589.
Artaxerxes Longimanus.	40.	3629.
Darius Nothus -		3649.

Arta-

Artaxerxes Mmenon - -	40.	3689.
Darius Artaxerxes Ochus	26.	3714.
Arſes, ſive Arſames - -	4.	3718.
Darius Codomanus - -	6.	3724.

Stetit annis 208.

Græcia.

Dividebatur primùm in varia regna, ex quib9 cœpit

Sicyonicum anno mundi - -	1890
Athenienſe - - - -	2446.
Lacedæmonicum - - -	2570.
Expeditio Argonautarum - -	2793.
Excidium Trojæ - - -	2870.
Fabulæ usque ad ann. - - -	2895.
Olympiades - - - -	3278.
Athenienſes bellum gerunt cum Perſis	3546.
Græcia tota cum Xerxe &c -	3574.
Græci armis inter ſe contendunt -	3596
Philippus Græcis bellum infert -	3700.

Monarchia Græcorum.

Alexander regnavit 6. annos ab A. 3724. ad	3730.
Macedonicum regn. poſt Alexan. ſub 17. Regibus annis 157. - - -	3887.
Syriacum ſub 22 regibus ann 249. ab A. 3742.	3991.
Ægyptium ſub 13. regibus ann 293 ab A. 3731.	4024.

Stetit 300 annis.

Italia.

Janus primus Italiæ Rex ab anno Mundi	2722.
Succeſſêre 21. Reges usque ad Romulum	
Condita Roma, cœptúmque R muli regnū	3301.
Succeſsêre 6. Reges usque ad ann. Mundi	3545.

Con-

Consules cœpêre administrare Rempubl.	3545.
Bella prospera cum variis Italiæ populis	3780.
Bellum triplex Punicum ab A 3790 ad	3908.
Bella alia externa usque ad annum ferè	4000.
Bella intestina ab A 3967. usque ad ann. ferè	4024.

Monarchia Romana.

Octavius Augustus Imperator ab anno M. usque ad annum Christi	4024. 15.
Seculo I. Imperatores 12 usque ad A. Chr.	98.
Seculo II Imperatores 7. usque ad	193.
Seculo III. Imperatores 18. usque ad	306.
Constantinus Magnus A. Chr. 306. -	

Synchronismus Historiæ Hebrææ.

Abraham ab anno Mundi	2039. usque ad	2214.
Isaac - -	2139. - -	2319
Jacob - -	2199. - -	2346.
Moyses - -	2464. - -	2584.
Exitus ex Ægypto	2544. -	
Josue Moysi succedit	2584. - -	2600.
Judices Israëlitarum	- - -	2962.
Reges - -	2962. - -	3446.
Captivitas Babylonica per annos 70.	3446. - -	3516.
Duces & Pontifices	3516.	
Alexandri adventus Hierosolymam sub Jaddo Pontifice	3722.	
Judæos persequũtur Ægypti & Syriæ Reges.		

Judæa

Judæa in Provinciæ formam
redigitur à Pompejo 3991.
Herodes Rex - - 4017.
Christi ortus - - 4053.
Ejusdem mors - - 4086.
anno ætatis - - 33.
Promulgatio & propagatio Evangelii.
Decem persecutiones sub Imperatoribus ethnicis.
Liberum Exercitium fidei Christianæ sub Constantino M.

FINIS.

